



Patrocinium Defvntorvm

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

Caput Quintum. De annexis jacturæ beatitudinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

CAPUT QUINTUM.

De annexis jacturæ beatitudinis.

ARTICULUS I.

Tristitia piorum manium ex jactura gloria, quam consequi debebant, æterna.

PRÆFATIO.

187.
Jactura graduum beatitudinis, quam acerba secundum Suarium.



PENA damni non modò dilationem beatitudinis includit, verum etiam adjunctam præbet privationem gloriæ, quam pii manes obtenturi erant, nisi per eorum, dum viverent, fœcordiam steterit. Quanta verò tristitia ex hoc velut fonte emanet, ex hac magni Sparii sententiâ collige. *Existimo, ait, tristitiam illam, ut est pena per se imposta ad purgationem culpæ, magis esse de gradibus beatitudinis perpetuè amissis, seu non lucratis propter orium, & venialia peccata; quàm propter solum dilationem beatitudinis aliquando consequendæ, & hoc igitur modo gravius tristantur animæ imperfectiores, & quæ maiorem reatum habent.* Ita ipse tract. de Purgat. Qui quidem sententiæ suæ causam non adscribit, credo quòd abundè per se clarum autemet, æternam gloriæ aliàs consequendæ jacturam, temporali damno gloriæ brevi post obtinendæ, præferendam esse, ac proinde tristitiam ex æternâ jacturâ graviolem, quàm ex temporali percipiendam. Verumtamen res hæc latiùs fundenda, & more nostro æstimanda est. Quare dicendum primò, quàm talis jactura damnosa sit. Deinde quàm turpis: ex quibus faciliè innotescat, quàm acerbam creet tristitiam.

§. I.

Mæror ingens, quia jactura damnosa.

188.
Superat mærorem ex dilatione beatitudinis, pro-

DAMNI autem gravitas expendi potest ex iis, quæ hæctenus disputavimus. nam si privatio visionis beatificæ, vel ad breve tempus qualibet damna, jacturæque quorumlibet bonorum, immen-

sùm superat: Si amoris beatifici subtractio ^{per æternitatem.} etiam temporaria, non minoris faciendæ est: Si denique, & gaudii beatifici brevis jactura tantidem censenda: quanti fiet amissio æterna, & visionis, & amoris, & gaudii beatifici, cujus lucrum per vecordiam nostram nobis perierit? Siquidem æternitas ingens pondus iis rebus adjungit, quascumque seu felices, seu infelices afficit. Nec causa latet. Quippe quia æternum infinitis diebus, infinitis annis, infinitis millionibus annorum durabit. Quamobrem acquisivisse, vel amississe æternam gloriam, est infinitos gloriæ dies, infinitos annos, infinitos milliones annorum lucri fecisse, vel perdidisse; quemadmodum & æternum pati, est infinitis millionibus annorum pati. Quare sicut impios manes nihil æquè excruciat, atque æternitas tormentorum, ita pios nihil perinde afflicta, atque damni illius æternitatis. Quod ut mentem pii Lectoris magis feriat, duo paradoxa in medium profero, quæ etiam studium salutis animarum vehementer accendere possunt.

Aio igitur plures laudis, ac gloriæ divinæ actus procurari, unius, vel puelli animæ salute, quàm hæctenus in orbe terrarum acquisitum à mortalibus sit; plures etiam, quàm jam in eo acquirantur, aut postmodum ad finem usque acquirendi sint. Item pronuntio plura peccata caveri, plùsque ad eò injuriæ divinæ, si unicam animam tartaro arceas, quàm cavisses, si omnia quæ fuere, sunt, & erunt, mortalium crimina impedires. Causa utriusque pronuntiat, una æternitas. Nam mortalium flagitia, virtutisque actiones, quia tempore circumscribentur, finem habebunt, beatæ verò animæ laudes, & damnatæ maledicta, quia æternitati adæquabuntur, fine, ac numero carebunt. Quæ etiam causa efficit, ut si mille mundorum pias, impiasque actiones, cum unius felicitis, aut infelicitis animæ laudibus, aut maledictis cõferas: illæ his omninò sint cessuræ. Cùm igitur pii manes jacturam fecerint complurium gloriæ, ac beatitudinis graduum, quos

189.
Demonstratur.

Patrocinium Defunctorum. Lib. I. 59

quos si libuisset, facile adepti fuissent, & iacturam quidem æternam, profecto nec detrimentum illud nostrâ mortalium mente æstimari, nec tristitia ex eo profecta capi potest.

190. *Quomodo fiat hæc iactura.* Sed tamen iuvat tantisper id genus iacturæ distinctius contemplari: Et prius expedit meminisse omni actioni viri-boni inesse triplicem vim, augendi scilicet gratiam habitualem impræsentiarum, & postea in cælo gloriam, cuius illa gratia semen est, tum & satisfaciendi pro pœnis alioqui debitis, denique auxilia gratiæ actualis impetrandi, quibus fretus, excitatusque animus bonas actiones cumulare possit. Ex quo conficitur, quoties quis culpam aliquam committit, eum iacturam facere augmenti eius gratiæ, gloriæque, quâ rectè tum agendo potiretur, & insuper illius, quam beneficio gratiæ actualis impetrandæ acquirere valeret. Inest autem hoc discrimen inter mortalem, venialémque noxam: quod mortalis de statu merendi hominem deturbet, secus venialis; id est, quod illa quamdiu minimè deleatur, impotem reddat gratiam habitualem, atque adeò gloriam augendi, non autem venialis; illa item beneficiis, subsidiisque divinis indigniorem, ineptioremque efficiat, ac proinde gratiæ habituales egentiores.

191. *Ex hac defunctorum lacryma.* Ex hoc igitur fonte promanant piorum defunctorum lacrymæ: hoc gratiæ, gloriæque detrimentum oppidò lugent. Quot enim peccatis inficitur humana vita? aut quæ illius pars ab iis immunis est? quantum igitur hinc perit gloriæ aliàs consequendæ, quantum doloris defunctis inurit? quid dicam de illâ gratiæ, gloriæque iacturâ, quæ fit per neglectum gratiarum actualium ad virtutis opus impellentium? Nam & hæ frequentissima sunt: stat enim Christus perpetuò ad ostium cordis nostri, pulsatisque foribus instat, ut admittatur ad maiorem amicitiam, unde gratia nobis major, ac major in dies concilietur. Sed ingrati, recordésque gratiam cum ejus auctore, necessitudinémque divinam repudiamus, ex quo ingens quoque gloriæ cælestis quæstus nobis perit.

192. *Non quando fit sine culpa.* Et si quidem citra omnem culpam obnitimur impulsibus divinis, ac vocationibus, uti contingere potest, dum merum consilium, non præceptum sequendum proponitur, non video cur pii manes inde tristitiam hauriant. Nam tristitia illorum rationem pœnæ habeat oportet, refertur enim ad pœnam damni. Porro pœna culpæ respondet, quam hic ponimus esse nullam. Nec refert quod neglectus ille culpæ omninò expers cadat sub detestationem,

& odium defunctorum. Nam & Beatis, & iis ipsis defunctis citra tristitiam odio esse potest, neque facile admiserim quidquam præter Numinis offensam, cuius rei sint, ejusmodi tristitiam eis inurere, ne pœnam, quam non sunt commeriti, patientur. Nec dicas mortalium tristitiam ex neglectis citra omnem culpam consiliis nasci posse. Hæc enim rationem pœnæ non necessario fortitur.

Sed enim neglectus gratiarum actualium culpâ vacare non solet. Primum quod auctoribus D. Thoma, ejusque discipulis, non datur actio neutra; live nec bona, nec mala; quoniam igitur neglectus ille bonus esse nequit, cum honesto fine non ornatur, malus sit necessum est. Deinde quòd impulsibus divinis oblisti non solear, nisi ex affectu minus recto, nimis cupido quietis, aut delectationis sensilis, quam cupiditatem satis apud omnes constat ad noxam pertinere. Præterea quòd iisdem impulsibus moveamur ut plurimum ad id, quod est officii, & alicujus virtutis, ut temperantiæ, prudentiæ, modestiæ, legibus præscriptum est, aut quod exigitur ad custodiam disciplinæ religiôsæ, aut Christianæ, ad vitandam proximi offensionem, & ejusmodi, quibus omnibus non parere, crimen, atque adeò pœnâ dignum est.

Ergo, & gratiarum actualium neglectus 193. *Rarò autem neglectus gratiarum culpa vacat.* Ergo, & gratiarum actualium neglectus 194. *Hinc ex neglectu gratiarum dolor.* fons est copiosus damporum gratiæ habituales, & gloriæ, & quod huic consequens est, defunctis fons uberrimus gemituum, ac lacrymarum est. Tum verò maximè dum succurrit piis manibus ea fatalis mensura, seu peccatorum, seu nominatim ingrati tudinis suæ in subsidiis, beneficiisque divinis repudiandis: quâ mensurâ impleta, alter ille fons benignitatis divinæ iis exarescere cœpit, aut si malis, lentius, tenuiterque fluere. Quò factum, ut emergendi potius è periculo æterni interitus, quàm gratiæ, gloriæque cumulandæ deinceps curam susceperint, potiusque timore, quàm amore ad officium sint compulsi.

195. *Conferetur hæc iactura cum aliis.* Quis porro non verbis, nec enim fieri potest, sed vel mente exprimat vim doloris quam tanta calamitas defunctis infligit? Quid enim? Esau primogenitus Isaac, audito fratrem Jacobum patris benedictionem sibi surripuisse, *irruit clamore magno, & conserenatus, ait, Benedic etiam & mihi, pater mi, & statim conquerens apud patrem: Juste, ait, vocatum est nomen eius Jacob; supplantavit enim me en alterâ vice, primogenita ante tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem.* Ita quidem ipse. At longè alia piis manibus querendi materia est; non enim alterius fraude,

fraude, sed culpâ, & vecordiâ suâ Patris æterni benedictione orbatî sunt, non illâ, quæ de rore cali, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini tribueret, sed eâ, quæ singularem æternæ gloriæ prærogativam impertiret. Nero auditâ Galliarum defectione, licet homo excors, adeò tamen indoluit, ut caput ipse suum præ doloris impotentia diverberaret. Verùm quid iactura Galliarum, quæ puncti huius, id est orbis terrarum, particula est, ad iacturam immensæ opulentia, gloriæque, quæ defunctis manebat, nisi suâ ipsorum socordiâ amissa fuisset. Samnietus Ægyptiorum Rex, ad filia conspectum, servulæ habitu, ritûque aqutum euntis, ad filii item complorationem, dum ad supremum supplicium ducebatur, immoto stetit vultu: At amicum hominem fortunis eversum mendicatò cibum quærentem contemptus, neque lacrymis temperavit, neque ab apertâ lamentatione abstinuit, causamque rogatus, respondit, domestica illa mala multò esse maiora, quàm ut fieri possent, amici autem è felice miseriam sortem sibi visam esse dignam, quam fletu saltem prosequeretur. At quæcumque illa mala domestica, illa Regiæ dignitatis, liberorum cum servitute, ac morte commutatio, nihili censenda sunt, si gloriæ, claritatisque piorum manium, quam integrum iis erat consequi, cum longè inferiore sorte commutatio attendatur. Est enim immensum inter sortem utramque intervallum, sive quia ingens numerus gratiarum actualium, ac propterea ingens cumulus gratiæ, gloriæque ab iis viventibus rejectus, in æternum perit, non modò ad aliquot annos, ut sceptrâ, ac coronæ Regiæ, sive quod intervallum non possit esse tam exiguum, inter unius, & alterius Cœlitum gloriam, quin propter illius pretium, & excelsum non debeat summum æstimari. Denique ut contentionem hanc definamus, nemo capere mentè possit vim mœroris, quâ obrutum fuisse necesse est Carolum tertium Imperatorem Crassi nomine, qui Francofordiæ ex Imperio deturbatus, ab omnibus etiam famulis triduo integro desertus, fame perisset, nisi Luitbertus, Archiepiscopus Moguntinus hominis sortem miseratus, aliquot diebus eum pavisset. Qui quidem Carolus ab Arnulpho Imperii successore, ac patruæ suo, cum victum saltem efflagitasset, pagum quemdam in Sueviâ, cui nomen Neiding, ad vitæ subsidia obtinuit, ibique inglorius deinceps, & abjectus egit. Verùm, & summa ista iactura Imperii Occidentalis, & illius humili

cum dominio commutatio, etsi acerbissima per sese, tamen jucunda videbitur, si piorum manium iacturæ comparetur. Hi enim tot regna, & imperia, tot, inquam, regias, & Cæsareas dignitates, juraque regia amittunt, quot cœlestis gloriæ gradus, quoniam unicuique gradui cœli regnum debetur. Cum ergo sint infiniti, non minus amittunt, quàm si infinita regna amitterent.

Itaque gravissimè dolet piis manibus tam ingens iactura. Quàm enim dulce sapit lucrum immensæ gloriæ, brevi hujus vitæ (quæ Christo teste mercatus est, & negotiatio) labore, & industria partum, tam graviter cruciat pios defunctos non esse partum; ideòque illius iactura continenter, atrociterque eos ferit.

Jam itaque sero nimis experiuntur veritatem hujus Siracidæ sententiæ cap. 16. *Da, & accipe, & iustifica animam tuam, ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum.* Quem locum sic rectè exponit noster Alvarez Pazius de adeptione virtutum l. 3. p. 5. sect. 5. cap. 3. Quasi dicat ille Sapiens: *Accepisti divinitus rectè vivendi subsidia: fac ergo, ut ea ad Dei gloriam, atque ad rectè vivendum conferas, & ita Deo velut illa reddas, quo pacto nova recipies, iisque gratiam, ac iustitiam angebis. Ante obitum bonis operibus incumbere, quia post illum, non est tibi spiritalis copia, cibi, inquam, quo anima vegetari, ac crescere gratiâ, meritisque possit.* Quo sensu Salvator sic suos affeclas alloquitur Joan. 6. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.* Experiuntur sanè hujus pronuntiati veritatem, quoniam quæ toties se obtulit occasio gratiæ acquirendæ, jam iis omnimò perit; jam perit tempus. *Juravit enim Apocalypiticus Angelus per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius.* Etsi enim de extremis diebus locus hic intelligatur, quando deinceps temporari, ac mutationi nihil erit obnoxium, tamen & de piorum manium statu accipi potest, quibus æternitatis iter ingressis, nulla postmodum meritorum copia obtinget. Ergo cum amara Synteresi obversatur illis illud quoque Ecclesiastici cap. 64. *Fili conserva tempus, quippe rem omnium pretiosissimam, & omnium bonorum feracem, si rectè utare.* Hoc item Apostoli ad Galatas 6. mentem illis perpetuò urget: *dum tempus habemus, operemur bonum, tempore enim suo metemus non deficientes.* Denique recurrit assidue, sed ad cumulandum mœrorem, illud Ecclesiastæ c. 9. *Quodcumque* 196.
Quam do-
leat defun-
ctus ea ja-
ctura.

196.

Quam do-
leat defun-
ctus ea ja-
ctura.

197.

Quia tem-
pus meren-
di perit.

facere

Patrocinium Defunctorum. *Lib. I.* 61

facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, non, inquam, ab obitu quidquam horum proderit ad mercedem, ac propterea non erit, quia quasi non esset, sic erit. Quod quia ulu suo, certaque conditione tenent defunctorum animæ, scilicet intolerabili dolore torquentur.

S. 2.

Eadem jactura turpis.

198.
*Ob repudi-
ationem
gloriæ à
Deo pri-
mum desti-
nata.*

ET tamen vehementer exaggeratur dolor hic ex turpitudine, probròque, quod hujusmodi jacturâ contingeret. Nimirum jam inde ab æternitate decreverat omnium Conditor Deus, hunc, vel illum ad excellentem gloriæ gradum provehere. In hunc finem gratias actuales abundè destinâret: neque liberalior in destinando, quàm in distribuendo fuit. Verùm ingratus, ignavusque homo, gratias repudiando, inertiaque succumbendo effecit, ut prior illa voluntas frustraretur, novaque conciperetur de conferendâ ipsi gloriâ longè inferiore, ea scilicet, quæ meritis ejus, longè quàm Deus experietur, minoribus æquaretur. Id verò quàm homini illi probrosum! quanto pudore dignum. Certè ut decretum divinum, hominem evehendi ad beatitudinem, majoris momenti est, quàm decretum mille præstantissimos procreandi mundos, eosque Seraphinis sexcentuplo nobilioribus omninò refertos: ita (si rem æquâ, atque ut aiunt, Sanctuarii trutinâ expendas) turpius est, decretum illud prius ignaviâ suâ irritum facere, quàm mundi hujus, imò mille nobilissimorum mundorum ordinem, statutumque cursum eadem ignaviâ perturbare, aut prorsus perdere, & pessundare. Jam vide, quàm turpe sit non mundum, sed angulum mundi inertia, insipientiaque suâ perdere. Quid enim de Sinenibus dicam? apud quos Ducibus omninò capitale est, teste Reverendo Patre Martino Martinio inde reduce, si milites vel seditione, vel gravi civium Regi Sinesi subjectorum vexatione, etiam citra Ducum culpam, peccarint. Et quot Europæis exercituum Imperatoribus, Rerumpublicarum administratoribus; aliisque ad eò probrosum visum est, non benè perfunctos esse suo munere, ut præ pudore, mortem sibi consciverint? Quàm intolerabile quibusdam Regibus ob regnum ignaviter gubernatum attonfos in Monachum, cœnobiis includi, omni gloriâ, ac regendi dignitate orbatos? Quàm dedecorofum Constantino Mono-

macho Orientis Imperatori, ob destitutos per avaritiam præfidiario milite imperii fines, barbarorum incurfibus, ac deinde dominatui, imperium aperuisse? Quale igitur esset ordinem totius Universi pervertere, & cum id pro nihilo censendum sit ad perversionem ordinis, quem Majestas illa suprema statuerat in gloriæ gradibus tibi procurandis, quàm illud pudendum homini per suæ vitæ pravitatem Deum cogere, ut hoc decretum suum abroget: si quidem, ut dixi, cœlesti trutinâ rem ponderemus? juxta quam minimus etiam gratiæ gradus mille mundis est præstabilior.

Accedit, quod in eo ipso summa quædam vecordia, & ingratitude sita sit, non enim aliò spectabat decretum illud, quàm ad cumulum gloriæ, beatitatisque illius, qui ipsum facit irritum. Si igitur ille filius Regis, aut Principis vecordissimus, atque in parentem ingratiſſimus esset, qui ultro, & dedita operâ id efficeret, quod nosset, & ingratum fore, & seipsum coronâ, imperioque indignum reddere; quàm detestanda erit ea hominis vecordia, immensis gloriæ cœlestis, id est, visionis beatificæ, amorisque, ac gaudii pariter beatifici thesauris sibi ab æterno præparatis, indignum se per meram inertiam, insanamque libidinem reddentis.

Hæc igitur jactura piis manibus luctuosissima est: maxime cum intelligant, eam suam gloriam non tantum sibi, sed & Deo potissimum decessisse; hinc enim turpitudinem suam, ac dedecus mirum in modum exaggerari agnoscunt. Nam si omnium animis detestandus esset ille, qui optimum Numen sciens ac volens frustraret gloriâ, quæ ex aliquo sodalio Immaculæ MARIÆ, aut ex aliquo festo die, exempli causa, Venerabilis Sacramenti efflorescit, profectò omne genus detestationis humanæ excedit ea vecordia, quæ eidem Numini, non Sodalitii modò, aut festæ lucis honor alijs reddendus deperit, sed longè amplior, quàm concipere, nedum eloqui possimus: quoniam ut amor Dei in patria, authore Lessio aliisque plurimis, incomparabiliter perfectior est ejusdem amore in viâ: sic ut ad illius perfectionem hic aspirare nequeat: ita gloria ex visione beatificâ, eique admenso amore in Deum redundans incomparabiliter præstat gloriæ, quæ à mortalibus in eundem Deum potest dimanare. Quamobrem tantus hinc erumpit dolor defunctorum, ut affirmare austum pudorem generosissimorum mortaliū ex quolibet dedecore, infamiâque ortum, isti pudori unius è piis manibus multum cedere. Itaque nunc demum

199.
*In quo in-
est ingra-
titude.*

200.
*Et pudoris
ingentis
materia.*

veritatem hujus paræmiæ Prov. cap. 10. experiuntur: *Qui congregat in messe filius sapiens est: qui autem stertit in messe, filius confusionis: nempe prorsus incredibilis.*

201. *Et quidem quod sit jactura æternæ gloriæ.* Quod si verò tantus pudor existit è jacturâ gloriæ cœlestis, quantus esse censebitur, si jacturâ æternitas spectetur? Nam pudorem intendi oportet pro damni diuturnitate, quæ, ut patet, infinitis damnis æquivalet. Quare nullus huic pudori pudor æquandus videtur. Enimverò tota illa æternitas in eorum mentes quasi influit, ut & aliàs dixi, quemadmodum in animas damnatorum. Atque ut horum præcipuum supplicium est, desperatio evasione è tam intolerabilibus tormentis, sic illorum mentes potissimum excruciat compertissima æternæ jacturæ veritas, excruciat, inquam, pudore illius tam leviter, turpiterque factæ. Quoniam videlicet temporarium ac pusillum commodum, atque indignam homine voluptatem, æternæ illi gloriæ antulerunt. Considera igitur quanti æstimandus esset pudor hujusmodi Beatorum, si quidem in Beatos cadere posset, & æternum esset duraturus: & cum totus ille velut in cunulûm congestus pios manes configat, ejus quandam immensitatem, si potes, metire.

ARTICULUS II.

Tristitia piorum manium ob divinarum gratiarum rejectionem.

§. I.

De rejectione gratiæ actualis.

202. *Gratiæ actualis sunt voces divine.*

ETS: modus, ac mensura huius turpitudinis, sub oculos humanæ mentis cadere nequeat, tamen supra etiam, quàm dici, aut cogitari potest, exauebitur, si & illi coniungatur ea, quæ separari nequit, turpitudine ob divinæ gratiæ repulsam. Ut enim prius de actuali, quæ prodroma esse solet, loquamur, indignissima res est Dei vocem, quæ gratiâ illâ continetur, toties à nobis contemni. Nam si quoties rebus ratione carentibus insonat, continuo effectum datur quod jubet, si *stella ipsa vocata dixerunt adsumus, & luxerunt cum incunditate ei, qui fecit illas?* II. Abacuc; quale nefas ratione, ac libertate ad nobilius parendum nobis concessis, abuti ad turpiter Deo ipsi repugnandum, & præcipua illa instrumenta divinæ gloriæ verte-

re in Numinis contumeliam? Solent Reges subjectorum repulsam gravissimè ferre, et si justissimam. Nota est Achabi Israëliti Regis indignatio, ob negatam sibi à Nabotho vineam; nota Jesabelis rabies eo, ut rebatur, probro exasperata. Nos igitur homunculi; quem Numinis sensum esse putamus, quando à nobis omni jure suis, se toties temerè repelli videt? Quid? quod ipse Dominus Optimus Maximus, non ullius commodi sui causâ, non ullius voluptatis illicio nobiscum per gratias actuales congregari desiderat; sed amicitia in nos suæ testandæ causâ, & immensæ quidem amicitia, sive Sponsum animæ nostræ se gerat, seu patrem? est enim immensa illa utraque dignatio, atque ad eò gratiæ actuales, quibus utraque stabilitur, ac fovetur, maximi pretii sint, oportet. Quare quemadmodum tam excellentem Sponsæ, ac filii Numinis dignitatem aspernari, indignissimum, ac probrosissimum est: ita gratias actuales respuere, turpissimum.

Mariannam nobilissimam Machabæorum sobolem, sunt qui contumaciæ damnant, quòd Herodem virum suum Romæ reducem, ubi ab Augusto rerum potente Judaicum regnum receperat, solitâ amoris maritalis significatione non exceperit, neque post sese blanditiis demulcenti amicis vultum exhibere sustinuerit. Et tamen rescierat perfidum illum jam secundo fidis hominibus mandasse, ut si quid humanitus sibi in itinere accidisset, Marianna trucidaretur; quin etiam ipsius fratrem sub aquis per ludi speciem suffocari curavisse. Quam igitur detestandum probum animæ, amabilissimum suum sponsum, per gratias actuales divinis blanditiis, atque osculis sese prosequentem, alloquio non dignari? Quod si prodigus ille filius patrem in amplexus convolantem, mutato repente animo rejecisset, nonne indignissimum ingratitude facinus admisisset? atqui per gratias actuales amplectitur, stringitque sibi Christus, nos prodigos sanè filios. has igitur repudiare quid aliud, quàm turpiter eum repellere, dum paternos parat amplexus.

204. *Et benedictiones divine, & pretium sanguinis Christi.* Quid dicam in iis ipsis actualibus gratiis fitam esse animæ ab æterno Patre benedictionem? Enimverò cui benè vult ipse, huic eas frequenter & abundè confert, vine, & per easque veram felicitatem. Confiderra, quæso, quanto studio Jacob Patriarcha benedictionem vel Isaac parentis sui, vel postmodum Angeli secum luctantis ambiverit: nam illius quidem assequendæ gratiâ matris Rebecca consilio vestibus Esau indutus, ipsum se simulat non sine periculo

periculo irarum fratris, malæque patris imprecationis. Angelicâ verò ut donetur, toto nisu totaque nocte cum Angelo certat, usque eo, ut illi præcisè dicat: *Non dimittam te nisi beneaxeris mihi.* Æstima igitur ex æquo, si potes, illius repullæ indignitatem, cum homunculus gratis inrer filios Dei adscriptus Patris illius æterni benedictionem cœlestis gloriæ feracem, ultrò oblatam aspernatur. Denique omnis gratia actualis quantumlibet exigua pretium est sanguinis & vitæ Christi: quare qui illum repudiant, in illos quadrat illud Psal. 61. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere:* quo facinore quid turpius esse potest, cum pretio illo nihil sit nobilius, & divinius?

205. Ergo hanc quoque turpitudinem suam incredibili mœrore plangunt pii manes, Numinis utique servi, sponsæ, filii: Nam si servos se meminerint, ut non possunt non meminisse, Dominum, ac Regem suum, ac talem Regem allocutione eos dignantem rejecisse, summoperè illos pudet, pœnitètque. Et dolorem indicat ea Jeremiæ Vatis cap. 15 comminatio, quæ & in eos lata est. *Quis enim miserebitur tui Jerusalem, aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? Tu reliquisti me, dicit Dominus, retrorsum abiisti, & extendam manum meam super te, & interficiam te.* Certè parem lethifero dolorem tibi inuram. *Laboravi rogans,* sive ut veritè noster Sanctus, *laboravi miserendo:* quasi dicat: rogando per gratias actuales misericordiæ meæ indices, sæpè repetitas, nec admissas, fatigatus sum. Ideò certum est justitiæ meæ vos permittere. Nimirum ut sicut repullam à vobis passus sum, ita vos ipsi à me patiamini. Quod si Sponsæ nomen, ac dignitas occurrit, si Sponsi divini blanditiæ, & castissima basia contemptim rejecta, id verò vehementissimè illos ex cruciat, quippe quòd eorum suavitatem jam maximè cognoscant, summòque studio expetant: Quando pro basiis aversum Numinis vultum, & ignium atrocitatem persentiunt: imò & horrendum dæmonum conspectum dirasque exprobrationes pati coguntur. Si postremò se filios Dei recordentur, simulque optimi parentis amplexus à se toties repudiatos, pudore, & dolore immenso obruuntur, tum quia optimè jam norunt quo affectu sint oblati: tum quia velut pignora erant cœlestium amplexuum, ad quos totis animis anhelant, tum etiam quia Patris tantæ Majestatis, vel levissima à filiis, quos sola misericordia tales effecit, repullæ indignissima est, probrosissimaque. Qua-

re cum immensa quadam acerbitate hæc, & ejusmodi mentes eorum perpetuò fodiant: *Generatio prava, atque perversa: haccine reddis Domino, popule stulte, & insipiens, numquid non ipse est pater tuus qui possedit te, & fecit te, & creavit te? Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus: dereliquit Deum factorem suum, recessit à Deo salutari suo, Deum, qui te genuit, dereliquisti, oblitus es Domini Creatoris tui.* deuter 32. hæc enim clamat exilium ex aulâ cœlesti, hæc carcer, hæc flammæ eò triftiùs, quò Patris divini, ejusque filii nominalunt dulciora, gratioresque amplexus.

S. 2.

De rejectione gratiæ sanctificantis.

PARS PRIMA.

Explicatur.

QUOD si verò tam dedecorosum est 206. gratias actuales rejicere, quale erit aspernari augmentum gratiæ habitualis? Quis enim mente assequi possit hujus præstantiam? Etenim gratia habitualis, sive sanctificans, naturæ divinæ participatio est, proptereaque ab Angelico Doctore *natura divina participata*, & ab aliis *semen Dei* appellatur, quod utique re, ac veritate naturam eius, à quo deceditur, participet. Est autem in eo sita eiusmodi participatio, quòd sicut essentia divina fons est actionum Deo propriarum, quales sunt intueri Numen, illudque propter se, præque cæteris amare, & ex amore sanctè, ac iustè facere omnia: ita gratia omnis sanctitatis, atque adeò visionis beatificæ radix, ac principium est, quia illas efficit per facultates suas, id est, per virtutes Theologicas, ac morales infusas, quæ velut facultates illius, ac potentiæ, ex ipsa quasi emanant. Et verò illius consortes veri Numinis filii sunt: quippe *divina consortes natura*, præsertim quòd gratiæ beneficio Spiritus Sanctus, atque adeò ipsa tota Divinitas animæ infundatur, ut eam velut animer, agatque; ut verum sit illud Joannis, *qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Neque filios Numinis tantum efficit gratia, sed & animas nostras sponsas, nempe per charitatem habitualement, quicum, vel omnino eadem est, vel inseparabiliter conjuncta. Hæc enim ipsâ animus Deo copulatur, si maximè charitas actualis accedat, per quam nuptiæ divinæ consummantur. Denique gratia eiusdem Numinis efficit amicos. Qui titulus omnium dulcissimus est, quia propter

206.
Gratia
sanctifican-
tis excel-
lentia.

propter illum, propter amorem, inquam, divinum, dulce est nomen patris, filii, sponsæ: Est item pretiosissimus, quia, qui cor divinum sibi obstrictum tenet, cuncta eius attributa, ac perfectiones sibi eodem vinculo obligatas attinet.

207.
Ejus itaque
rejectionem
turpissimum

Ex quibus omnibus nemo non videt rejectionem illam rei tam excellentis, tamque pretiosæ, homini fide divinâ, rationeque prædito, probrosissimam esse. Cum enim gratiam, gratiæque augmentum, & querere, & admittere optabilissimum, ac laudabilissimum sit; repudiare, non potest non esse turpissimum. Nam Philosophorum scitum est, ex contrariis contraria consequi. Et sanè in gratiæ repudiatione inest aliquis illius, imò, & Numinis eam offerentis, contemptus. Gratiæ quidem, propterea quòd rem omnium augustissimam, & præstantissimam homo tanti non æstimat, quanti abjectissimas mundi quisquillas, quas utique magno labore, gratiam vix levi vult mercari. Numinis autem despectio inde promanat, quoniam, qui donum tantum ac tale rejicit, donantem contemnere censetur. Etenim quem admodum honoris excellentia à personâ honorantis petenda est, ita & doni, quod honoris habet rationem, prætium à dignitate dantis promanat. Et ita moribus hominum comparatum est, ut torques ac bullæ à Regibus donatæ, etsi per se non admodum pretiosæ, maximi æstimentur. Sicut ergo qui Regis donum vilipenderet, pariter ejus dignitatem haberet contemptui; ita qui gratiam summum Dei donum contemnit, Deum contemnit.

208.
Defunctis
luctuosus
ob multi-
plicem in-
dignitatem.

Atqui Numinis contemptus, quàm piis manibus gravis, & luctuosus est, cum jam illius amore magis, quàm purgantibus flammis ardeant! Et præsertim, quòd tum minime despici debuisset, quando tam optabili beneficio eos afficere moliebatur. Sed & hic dolor, & ejus contemptus indignitas ingravescit ex eo, quòd repudiatio augmenti gratiæ, est repudiatio augmenti charitatis in nos divinæ, cum in omni beneficio primum donorum sit amor. At amorem divinum vilipendere, est vilipendere amorem Dei in seipsum: nam ex eo amor in nos divinus profluit. Est etiam vilipendere attributa omnia divina, cum hæc amori quodammodo subjecta sint. Est denique vilipendere turpiter totum ipsum Deum, quoniam ut in homine pulcherrimum omnium est cor bonum, amorque recti: sic in Deo pulcherrimum est, bonitas, à quâ quiddam in Deo est, habet, quod bonum sit, & laudandum. Cæterum augetur insuper ejusmodi contemp-

tus, atque adeò mæstitia piorum manium, quòd qui gratiam sanctificantem piis operibus cumulare negligit, virtutes infusæ supernaturales, Fidem, Spem, & ut diximus, Charitatem, pariterque morales, Prudentiam, Justitiam, Temperantiam, Fortitudinem, dona quoque Spiritus Sancti, quæ vel sunt virtutes ipsæ longo usu corroboratæ, vel potius singulares ad virtutum exercitium gratiæ actuales parvifacere, & in æternum quidem rejicere censetur, quoniam omnia illa vel infundi cum gratiâ, vel crescere solita sunt. Postremò quæ illa vesania est, & quàm pudenda, cum homo naturæ sponte, hominis, imò bestiarum amore gaudeat, eumque excitare, & amplificare studeat, negligere ac repudiare augmentum amoris in se divini? Quamobrem cum ejusmodi indignitas defunctis longè, quàm nobis manifestior sit, & sicut exaliantur cæli à terrâ, sic cogitationes eorum à cogitationibus nostris, quantus inde pudor, quantus dolor eos obruit!

Sed uterque ille luculentius patebit, si rei hujus indignitas sigillatim ex rejectione effectuum gratiæ spectetur. Quod enim ad primum attinet, etsi quilibet justus verè sit filius Dei, tamen inter ejusmodi filios immensum discrimen est. Nam ambigi non potest, quin alii ab aliis magis distent, quàm Cæsarum, Regumque filii, ab hominum de populi vulgo liberis; nec minus certum, quoslibet nostrum, si gratiis actualibus, ut integrum est, uteremur, si sanctificante numquam excideremus, ad aliquem sanctitatis gradum evectum iri, tametsi numquam ad excelsum illum, quem aliqui Sancti singulari prærogativâ, singularibusque auxiliis adepti sunt. Quem admodum nec testudo, aut limax tantum spatii toto vitæ suæ tempore conficere rependo poterit, quantum eques una diecula currendo. Certè quispiam ex Italis Societatis JESU laicus jam vita functus Neapoli renuntiavit medico cuidam, tanto se in cæli regno Philippo II. Hispaniarum Rege esse excelso gradu, quanto Philippus ipsum in orbe terrarum antebat. Ita P. Paulus Bary in solitudine Philagiæ. Et satis constat plurimos, si excussissent pigritiam, & pro viribus egissent, non minore intervallo seipsis superiores, gratioresque Dei filios fuisse futuros. Id verò, quàm piis manibus dolendum est! quàm enim probrosum! Nam si dum Claudius Imperator Neronem privignum, Nerva senio pressus Traianum, Hadrianus Commodum verum, Justinus Justinianum filium sororis adoptavit in filium, adoptionem illi recusassent,

209.
Quæ crescit
ex effectis
gratiæ.

Patrocinium Defunctorum. *Lib. I. 65*

recussent, & ab hominibus de trivio se curassent adlegi, quot ludibriis, ac scomatibus fuissent concisi? Attamen inter filium Cæsaris, ac Dei, quantum interest? quàm ergo piis manibus pudendum repudiassent excelsum inter filios Dei gradum, & plebeio in statu per ignaviam jacuisse, nec damnatum hoc reparare posse in æternum! nempe longè turpius, ac tristius est, quàm Regis filio excidere imperio, & familiã Regiã, & in plebeium ordinem redigi.

210.
Defunctis
quàm pro-
brosam re-
jecisse spõ-
se divina
dignitatẽ.

Quid jam dicam de Sponsæ Numinis dignitate? Pariter enim de illã disputare licet, tantum interesse inter eam dignitatem Sponsæ divinæ, quàm anima nostra accuratã sui custodiã, studiõque Numinis demerendi, consequi potuisset, & illam, quam consequetur, quantum interest, inter sponsam Regis, & servam. Cùm ergo, dedecus inter mortales intolerabile esset; nuptias Regis, posthabuisse nuptiis mancipii, dici non potest quantopere pudeat defuncti animam respuisse arctiorem cum Deo necessitudinem, & mancipii instar illi servuisse: præsertim cùm ejusmodi rejectus in Numinis injuriam cederet, quod perspectum sit hominum usu, atque indignatione, quæ sæpè ad furorem usque deflexit, nihil gravius accidere hujusmodi repudiatione. Novimus Agnetes, Agathas, Lucias, aliãque nobilissimas, & plurimas puellas per omne supplicii genus morti datas, quòd procos repulissent. Hanc enim repulsam ascribebant illi injuriæ, sui-que despectioni, ejusque impatientiã, furorẽque perciti innocentissimas virgines de Christianã Fide ad Judices deferebant. Quis igitur esse potest Numinis sensus, cum suas nuptias turpiter rejici animadvertit: postquam, ut Sanctæ Gertrudi significavit, per filium suum JESUM in terras legatum 33. annorum spatio non aliud egit, quàm ut castissimum animarum connubium obtineret, nihilque etiamnum molitur, quàm ut hujus voti fiat aliquando particeps. Ipsa verò animæ rejectionis suæ conscientiã, quàm dirè cruciantur, dum hæc apud se reputant dies noctesque, nec possunt non reputare! sed quantò tormentur durius, dum adulteria sua spiritalia, divortiãque cogitant, dum sterilitatem expendunt illæ, inquam, animæ, per quas stabat plurimorum, ac clarissimorum Dei filiorum matres esse, nisi rebus creatis per nefas adhærere maluissent! Itaque huc spectat illud amarissimum Numinis iudicium apud Vatem Ezechiëlem c. 23. *Quia oblata es mei, & projecisti me post corpus tuum: in quoque porta scelus tuum, & for-*

nicationes tuas, id est, pœna sceleris, atque huiusmodi fornicationum spirituum perferenda tibi est, vel teipsã, scelerisque conscientia tortore.

PARS SECUNDA.

Confertur hæc repulsa cum aliis repulsis.

MITTO nunc de amicitia divinæ rejectione dicere, sive quia proximè superius paucis illam attingi, sive quia hæc sufficiunt, ut turpitude, quã de agimus, pudorque, ac dolor ex ea enatus innotescat. Quoniam tamen magis animos ferire solent res cum aliis compositæ, quàm simpliciter propositæ, prodeat primùm in medium Regina Vasthi, & infelicissimam suam sortem, summamque infamiam tacita defleat; nec enim idonea tanto luctui verba inveniri queunt. Desponsa erat Assuero Regi potentissimo, qui regnavit ab India usque ad Abiopiã super centum viginti septem provincias. Evenit porrò aliquando, ut ab illo iuberetur in ornatu regio illi se sistere, nempe ad ipsius eximium decorem cunctis populis sibi subiectis in regio convivio ostentandam. *Qua renuit, & ad Regis imperium venire contempsit, unde iratus Rex, & nimio furore susceptus, interrogavit Sapientes, qui ex more regio semper ei aderant; cui sententia Regina Vasthi subiaceret, quæ Assueri Regis imperium, quod per Eunuchos mandaverat, facere nolisset, responditque Mamucham audiente Rege, atque Principibus, non solum Regem læsit Regina Vasthi, sed & omnes populos ac Principes, qui sunt in cunctis provinciis Regis Assueri. Egredietur enim sermo ad omnes mulieres, ut contemnant viros suos. Quid denique? Si tibi placet, inquit, egredietur edictum à facie tuã, & scribatur iuxta legem Persarum, atque Medorum, quàm præteriri illicitum est, ut nequaquam ultra Vasthi ingrediarur ad Regem: sed regnum eius altera, quæ melior est, accipiat, & hoc in omne, quod latissimum est, provinciarum tuarum divulgetur imperium, & cuncta uxores tam maiorum, quàm minorum defecerant maritis suis honorem. Placuit consilium Regi, & Principibus. Hæc est tragediæ catastrophæ, hæc misera fors Regi-næ potentissimæ, repudiari primùm, tum repudii eius causam vastissimo illo imperio divulgari cum infamiã ingenti, adeò ut Assuerus ipse irã sedatã infelicitatem tantam miseraretur.*

211.
Confertur
ea turpitu-
do cum in-
famia Va-
sthi Regina

Sed quantò defunctis calamitosius est è præcelso gratiæ, gloriæque, ac Sponsæ divinæ

212.
Et illi præ-
fertur.

divinæ gradu, quem assequi licebat, de-
surbari ad infimum, quàm è sponsæ Regis
Assueri, ac Reginae celsitudine ruere in
plebeium; cùm gloria omnis humana cœ-
lesti vel minimæ nimum quantum conce-
dat: quantò probroius illud animæ ingra-
tæ repudium toti olim mundo divulgand-
um, & iam Numini, Angelisque esse no-
tum, quàm regno Assueri! Equidem plus
verecundiæ atbitror inuri piis manibus, vel
inuri posse ex eo capite, quàm pluribus
cuiusmodi Reginae ex pari abiectione, cui
tamen mortem crudelem haud dubiè præ-
optassent.

213.
Et cum pro-
bro Anti-
patri.

Veniat nunc in contentionem Antipater
Herodis Infanticidæ filius, mali scilicet
corvi malum ovum. Hic cùm Mariamæ,
duorumque eius filiorum Alexandri, &
Aristobuli cædem pessimis dolis, ac crimi-
nationibus machinatus esset, ut per Ma-
chabææ Gentis ruinam ad Judææ regnum
grassaretur, cùmque iam Herodis hæres
ultimis tabulis scriptus esset, parentis vi-
tam, seriùs voto suo viventis, veneno ap-
petiit. Convictus deinde parricidii atten-
tati, aliarumque infandarum cædium, in
custodiam datur. Interea Herodes senio,
morbisque fessus properabat ad mortem;
nec minus Antipater, et si clausus, & dam-
natus, aspirabat ad regnum. Quare custo-
dem carceris, quæ promissis, quæ minis
urgebat, liberum ut evadere quantocyùs
fineret. Quæ res cùm ad Herodem à cu-
stode delata esset, ille iustissimo in parricid-
iam furore, exiguum quod erat vitæ, &
propè supremum spiritum exhauriens,
Antipatrum necari iussit. Atque hic exitus
fuit ambitionis cruentæ, eò truculentior,
quò iam spe regnum præceperat,
quando vita pariter, & regno exutus est.
Verùm nec ista calamitas componi digna
est cum piorum manium, quam tractamus,
miseriâ, quando nec Judææ regnum quid-
quam est ad dignitatem, unde illi propter
focordiam excidunt, & nex properata longè
dulcior est diurnâ, ingentique infamiâ,
imò parricidii, totque cædium reo,
ac conscientis cruciato, vitâ suavior esse
debebat.

214.
Item cum
S. Hormif-
dæ.

Verùm haud scio, an quidquam hoc in
genere contigerit, quod probrum S. Hor-
midæ ob Christianam Fidem illatum
æquare possit. Erat Hormidas clarissimâ
inter Persas familiâ, Regi proximus, &
rerum gestarum gloriâ perillustis, quando
Rex furore in Christianos percitus, ut aliis
terrorem incuteret, eum primùm aulâ
amovet, tum bonis exiit, eaque ejus fa-
mulo donat: exinde virum tantum came-
los regios curare jubet. Satisne? minimè

fatis; quin hætenus jocus, & ludus. Ea
dedecus dedecorum. Hormidæ uxor
famulo illi, nec repugnans datur in spon-
sam, neque tamen illic sistitur. Quid ve-
rò addi potest ad dedecus? id nempe, Hor-
midas famulo, & uxori infidæ, liberisque,
suamet in familiâ, ac domo mancipii instar
servit. O probrum inauditum! & tamen
infamiâ piorum manium longè tolerabilius
est. Nam fieri ex conjugis conjugis &
servi famulum, lapsus quidem, & abjectio
summa est, sed ab humanâ dignitate, quæ
revera semper abjecta est. At pii manes
è divinæ Sponsæ sublimissimo gradu in in-
fimum se ruisse plangunt. Deinde si de
verâ gloriâ agitur, fidei causa totum hoc
S. Hormidæ probrum fecit gloriosissi-
mum: at causa depressionis defunctorum,
depressionem ipsâ probrosior est.

ARTICULUS III.

*Exponitur sigillatim tristitia pio-
rum manuum ex peccati
macula.*

PRÆFATIO.

ET SI noxæ piorum manium, vel ante
obitum si mortiferæ, vel si veniales in
obitu, aut post obitum revera deleantur,
tamen earum turpitudine utcumque præte-
rita, eos cruciare non desinit, quamdiu
expiatorio carcere attinguntur. Etenim
tamdiu puniri perspectum est: poena au-
tem quædam exprobratio est turpitudinis
culpæ, ac proinde quamdiu poena manet,
exprobratio ista maneat, necesse est. Cùm
igitur, ut fide certum est, condonatâ, de-
letâque culpâ, poena luenda manere possit,
ac solita sit, præerita turpitudine culpæ pios
manes excruciare potest. Porrò tristitiâ
illâ manes gravius, quàm mortales affici,
duobus maximè ex capitibus liquet, noti-
tiâ, & amore. Siquidem perspectum est
notitiam, sive criminum recordationem,
quatenus ab imaginatrice sejungitur, est-
que mentis propria, in mente ipsâ proxi-
mè insidere, atque adeò spiritalem esse
(ut & mens) & nesciam corrumpi. Con-
stat itaque criminum antea vitæ recor-
dationem, ab obitu residere in animâ: &
quidem puriorem, certioreque, quo-
niam à phantasmatis illam velut obnubi-
lantibus, est libera. Verùm esto, fac pe-
rire cum vitâ rerum præteritæ vitæ memo-
riam: certè quidem singulorum crimi-
num exactissimum à morte examen, sive
clarissima, perfectissimâque eorum imago,
menti

215.
Memoria
criminum
manet, au-
getur, post
mortem.

Patrocinium Defunctorum. Lib. I. 67

menti vitâ functi objecta in eo permanet. Quàm verò viva sit, & clara, plus nimio patet, quòd animus corpore solutus, in operatione suâ à phantasmatis minimè pendeat, ac proinde res ipsas per se proximè, prout per se sunt, inspiciat, spirituum instar, earumque essentiam penitissimè cognoscat. Ex quo consequitur quemlibet è piis manibus clariùs, certius, ampliusque rerum naturas pervadere, quàm Aristoteles, ac Platones, aliâque portenta ingeniorum: & tamen lumini illi nativo accedit fidei iam expeditissimæ lumen, accedunt dona sapientiæ, scientiæ, aliâque Spiritus Sancti propria: quare nihil abest quin animus, & Numinis Maiestatem, & peccati turpitudinem longè quàm mortales clariùs pervideat, atque inde infandum dolorem percipiat. Qui quidem eò graviùs in illos sævit, quòd læviat continenter, neque ullo unquam temporis puncto interrumpatur.

216. Etenim infelix illa cognitio turpitudinis scelerum, semper animo obversetur, necesse est. diximus enim priùs defuncti mentem nullâ tormentorum vi interturbari: & verò non est cur ea notitia hoc potius momento maneat, animamque fodiet, quàm illo: præsertim cum semper eadem maneat causa fodicandi: siquidem ad rationem utriusque pœnæ, sive sensûs, & damni pertinet, memoria causæ cur subeat. Nam supplicium quodlibet eò dolentiùs fertur, quòd illius causa infamis sit, & homine indigna: contra verò ex causæ honestate non modicum patienti solatium accedit, ut constat Martyribus accessisse. Jam subtractio conspectûs divini non graviter eos afficit, qui nullam ei causam dedere, quod in Patribus veteris testamenti Limbo detentis satis notum est. Quod igitur vehementissimè torqueat defunctos inde existit, quòd illius causa turpis, omninòque rationi adversa sit. Quare cum privatio illa, utpote pœna essentialis continenter excruciet, criminum memoriam semper animo defunctorum obversari necesse est.

217. Alterum tristitiæ caput est amor Dei, qui, ut etiam aliàs diximus, & brevi dicemus, in piis manibus summus est: non quòd habitualis ipsa charitas, ullum post mortem augmentum accipiat, sed quòd vim suam exerat totam, atque, ut aiunt, ex totâ latitudine habitus operetur. Cum igitur amor mensura doloris sit, pudorisque ob Numen offensum, ex summo illius amore tristitiam summam in defunctis enasci convincitur.

Porro peccati turpitudinis triplici ex ca-

pite sese prodit, atque æstimanda est. Primum ex ipsius essentiâ, quatenus scilicet offensa Numinis, & injuria est, deinde ex quibusdam ejusdem proprietatibus, ut scholæ loquuntur, quatenus si mortale, continuò Christicidium, ac Deicidium est; denique ex illius effectis, quæ post enumerabimus.

§. I.

*Quemadmodum peccati turpitudinis
manes cruciet, quatenus est
Dei offensa.*

PECCATUM sic teâ Theologi definiunt, ut sit injuria Deo facta, seu Dei offensa. Cum enim omni peccato divinæ legi repugnetur, violatâ lege, Legislator ipse divinus læditur, atque offenditur: quippe quòd perinde habeatur, atque si jus, ac potestas leges ferendi penes eum non esset: Est autem injuria Numini facta gravissimum malorum, quæ possunt excogitari. Enimverò Numinis malum est, ut aliàs quoque diximus, supremæ, inquam, Majestatis, cui cætera, quæ sunt, quæ fuere, & erunt, aut esse queunt, collata, teste veritate, aut titulæ effusæ gutta reliqua sunt, aut pulvisculus stateram minimè inflectens, aut potius nihil. Porro injuria proportionem personæ, quæ violatur, crescit, quemadmodum honor pro dignitate illius, qui honorem exhibet. Cum igitur infinita sit divina Majestas, quæ læditur, injuria illi facta, immensitatem quamdam fortitur, atque adeò malum est immensum. Et cum eadem Majestas nimium quantum exsuperet omnes res conditas, etiam rationis, malique capaces, illius malum, cætera omnia, etsi gravissima mala, immenso intervallo excedit.

Quamobrem gravissimè dolet piis manibus id se mali Deo intulisse. Et, si rata est Ambrosii sententia in vatem Micheam: *Nullum dolorem maiorem eo esse, qui peccati mucrone vulnerat conscientiam*, in illis maximè rata est. Certè idem illis graviùs dolet, quàm omnem illam fecisse iacturam visionis, amorisque beatifici, quam hæcenus exposuimus, quippe quòd hæc ipsorum tantummodo malum sit. Imò acerbiùs eos torquere nata est ea Dei offensa, quàm ultrices illæ flammæ, seu purgatorii, seu orci, quoniam & hæc malum sunt creaturæ; & re ipsâ ita torqueret, nisi divina providentia Numinis, magnitudini mali dolorem adæquari nolleret, ne anima unica, eaque minimum rea, longè plus toleret supplicii, quàm omnes damnatæ, pariterque

pariterque daemones ab igne, caelique iacturâ patiuntur; quod misericordiae divinae miris congruere videtur.

220.
*Mortifera
culpa ma-
ximè Deo
contraria.*

Si autem qualibet noxa, etiam levissima, tam gravis est piis manibus, quam in-
fandis modis afflicta eos mortifera! Hæc enim divinam legem sub poenâ summæ ac divinæ indignationis, aeternæque damnationis latam violat, ac proinde Deum, divinæque omnia attributa graviter vilipendit. Nam bonitatem quidem despicit, quod reus illius omni bonitatis fructu in æternum se abdicet. Est enim mortifera noxa ejusmodi, ut hominem omni beneficio, gratiæque indignum efficiat, neque aliter tamen, quam merâ, summâque gratiâ, & velut per miraculum possit reparari. Pulchritudini quoque contraria est, quia turpitudine est summa, resque conditas turpes & abjectas illi postponit. Sapientiæ etiam adversatur, quia ab æterno constitutum illius ordinem perturbat. Insuper misericordiae, quia ea ad peccandum abutitur. Ad hæc divinæ potentiae inimica est, quod eam, ad designanda, perpetrandaque scelera detorqueat. Item immensitati, quod præsentem, spectantem Deo peccare non reformidet: mitto cætera suo loco edisserenda.

221.
*Hinc pudor
ingens de-
functorum.*

Cum igitur omnis ea peccati malitia piorum manuum mentibus semper observetur, eò maximè, quod in iudicio particulari, haud dubiè à Christo Iudice fuerit illis graviter exprobrata, dici non potest, neque sanè excogitari, quam incomparabili pudore, & ingenti dolore eos assidue fodicet. Enimverò huic potissimum tempori quadrat illa vaticinatio Nahum cap. 3. *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & revelabo pudenda tua in facie tuâ, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, & proiciam super te abominations: & contumeliis te afficiam; & ponam te in exemplum.* Certè aut universi manes, qui gentem, seu populum multitudine vel æquant, vel superant, criminum alienorum conscii sunt, unde singulis inuritur pudor acerbissimus; aut etsi non sunt conscii, tamen criminum suorum quisque assiduâ memoriâ lancinatur, sibi que est pro theatro, atque universâ gente, & quod impii horrore aspectus supremi Iudicis clamaturi sunt *montibus, Cadite super nos, & collibus, Cooperite nos,* idem quisque illorum meritò clamat. Et si Basilio autore orat. 23. de Iudicio: *Fortè gravior, quàm tenebra, & ignis aeternus hic damnatorum pudor erit, ut nunquam non ob oculos habeant scelerata vitæ vestigia, tamquam inevitabilis alicuius ia-*

tura; ausim dicere iustales ipsas flammæ, piis manibus minus pudore esse acerbæ. Certè nullum unquam malum vidit hæc mortalitas, quod illi possit æquiparari.

Etenim nihil tam tetrum in morbis, atque ulceribus, nihil tam turpe in monstris, nihil in probris humanis tam horribile, quod peccati vel levissimi turpitudine, atque horrore non vincatur. Quippe nihil est alteri tam dissentaneum, quam animæ rationis compoti, & infimæ, supremam Majestatem lædere. Adde cæteras turpitudines intra naturam consistere, hanc verò ordinis superioris, ac supra naturæ limites esse.

Pone tibi ante oculos Celsi cujusdam infandum probrum, qui cum in Africâ proclamari se Cæsarem iussisset, Galieni Imperatoris auspiciis, & Vibii Palsieni Ducis virtute victus, canibus vorandus traditus est, indeque à populo, Galieni amore, & Celsi odio, effigies ejus suspensâ patibulo. Pone Phocam Imperatorem ab Heraclio superatum, dexterâ, & pedibus præcisus, cute dorso detractâ, excelsis verendis, & hastæ affixis, capite amputato, reliquo corpore in forum boarium per contumeliam tracto, atque in ignem coniecto, propudiosa vitæ actum ultimum peragere. Totum hoc dedecus, atque infamia vix umbra est infamiæ unius unicæ ex piis manibus animæ. Imò si in unum hominem omne genus turpitudinis, atque infamiæ humanæ congeras, non erit id omne cum probro, atque infamiâ piorum manuum, vel ex minimis noxis contractâ, ullatenus conferendum. Quid si probro eorundem ex plurimis, maximisque flagitiis collecto infamiam mortalium componas? Quantus igitur erit illorum pudor! tantus certè ut gravissimo mortalium sit intolerabilior. Et tamen audivimus Martium, cum post obitum Numæ in regni disceptationem cum Hostilio venisset, tulissèque repulsam, semetipsum interemisse. Legimus Polonum quemdam misâ sibi per ignominiam ignavi facinoris, pelle leporinâ, ac colo, à Boleslao III. Poloniæ Duce, cum eam ferre nequiret, necem sibi intulisse. Quid hujusmodi recentia memorem? Nuper Sinenfis Rex audito Tartaros urbem Regiam occupasse, ex arbore à se plantatâ, atque adeo carissimâ, se suspendit, conjuge, ac liberis prius à se interemptis. Plurimi ex eadem gente, ne venirent in hostium manus, simili fato perire. Denique plenæ sunt probrorum impatientiâ, voluntariisque cadibus historiae.

Satiùs, opinor, verecundiam mortaliū ex peccato profectam in medium protulero:

222.
*Ob peccati
turpitudi-
nem.*

223.
*Omni alia
majorem.*

224.
*Pudor mor-
taliū ex
peccato.*

Patrocinium Defunctorum. Lib. I. 69

protulero: ut ex umbrâ istâ de corpore utcumque judicemus. Atque ecce ab ipsis mundi incunabulis, Caini parricidii conscientiam pudorémque non ferens, nemine persequente profugit, quasi fugeret seipsum. Exinde Achitophel perfidiâ in Davidem Regem, incestique consilii verecundiâ adactus, laqueo fauces sibi elidit. Innumeri alii longè minoris pudoris impatientes, vel laqueo, vel præcipitio mortem sibi conscivère. Jam difficultas Sacerdoti, vel ignoto, nec te agnoscenti, crimina fatendi, quanta est! quot petire, æternumque cruciari malunt, quàm eò venire verecundiâ! Et tamen quàm adamantinâ serâ clausum est, quidquid in auribus Sacerdotum deponitur! & quàm rarò, imò numquam referatur! *Sed colligata est iniquitas Ephraim; absconditum est peccatum eius: dolores parturientis venient ei*, ait Vates Oseas cap. 13. quasi dicat, sic involvi, abscondique in mente peccatum, postquam conceptum, ac designatum est, ut ad illud in lucem edendum, non minor, quàm puerperii labor, dolorque sit suscipiendus. Et sanè sudatur, suspiratur, & ejulatur, cum nefandi illi mentium fœtus, velut ex utero excludendi sunt.

225.
Cedit pudori defunctorum.

Verùm enimverò verbo uno dicam, quemadmodum notitia scelerum quæcumque, mortales etiam invitissimos continenter ferit, lucernula est ad Solem, si cum notitiâ eorumdem, quâ pii manes velut luce perfusi sunt, compareretur: ita pudor piorum manium, quem vel unicum mortale crimen imprimit, omnem mortalium ejusmodi pudorem facillè vincit. Et causa est, quod ea mortalium notitia turpitudinis peccati, & pudor ille, qui à Sacramentali confessione abarctet, intra naturam situs sit, hic autem piorum manium supra naturam. Et esto: unâ jungatur ille cum pudore sanctorum, eoque supernaturali, ac summo, quem fide parta cognitio, ejusdem turpitudinis ingenerare possit, tamen in mortalibus nec fides, nec amor vim suam omnem exerunt, ut in defunctis; & licet subinde exererent, non potest conatus ille diu tenere; atque ut teneret, evidentia quædam fidei, cognitioque turpitudinis peccati in judicio particulari hausta, pudorem piorum manium supra quàm dici potest, exaggerant. Itaque hoc maximè respectu in eos quadrat hoc supremi Judicis, quod olim Ezechielis voce cap. 7. interminabatur. *Et non parceret oculus meus super te: & non miserebor; sed vias tuas ponam super te, & abominationes tuas in medio tue erunt, & scies*

quia ego Dominus. Hæc dicit Dominus: afflictio una, afflictio ecce venit. Siquidem abominationes criminum in medio corde, scilicet animæ reæ esse dicuntur: Quia, ut ait Cornelius, quasi gladius cor dissecant (certè pœnitentia, ac pudore) & ita quidem dissecant, ut vel inde Deus se Deum probet, propter inflictæ mœstitiæ quamdam immensitatem.

Etenim ex iisdem capitibus eorumdem dolor defunctorum exasperatur, quibus pudor. Nam tam atroci injuriâ violasse æternum, summumque Numen amantissimis illis animis gravissimum est, præsertim cum jam innumera illa, seu naturæ, seu gratiæ beneficia ab eo velut in se effusa clarissimè, penitissimèque cognoscant. Quot enim accepere, tot voces sunt ingratiitudinem illis suam exprobrantes, tot mucrones conscientiam mentem fodicantes. Accedit ad doloris exacerbationem certæ earum notitia, numquam se, totâ retro æternitate vel amore, vel laude Numinis compensare posse vel minimam Deo factam à se injuriam. Sive quòd injuria hujusmodi quamdam infinitatem sortitur ex infinitâ personæ offensus dignitate (à creaturâ autem nihil nisi limitatum manare potest) sive quòd quidquid laudis, amorisque à Calitibus Deo reddatur, innumeris nominibus ei debitum est, adeoque nequit in compensationem injuriæ illi factæ constitui. Quare si ingenuos animos vel ingratiitudinis suæ, vel injuriæ alteri turpiter illatæ conscientia tantoperè lancinat, ut subinde Judicibus se sistant ad supplicium quodlibet perferendum, rati levius fore conscientiæ tormento. Si Antiochus ille sceleribus, & impietate illustris, amarissimâ mente recolebat mala Jerosolymæ, Judæisque à se illata, etsi voluntas, & copia illi erat ea resarciendi, quantus erit animarum dolor, de infinitis injuriis Numini oblati, extra omnem facultatem pro iis ullatenus satisfaciendi! Itaque hæc impii illius Regis continenter iis in mente hærebunt: *In quantam tribulationem deveni! in quos fluctus tristitia, in quâ nunc sum! qui incundus eram, & dilectus in potestate meâ, nunc verò reminiscor malorum, quæ feci.* Machab. 1. vers. 6. Illa item Jeremiæ Vatis exprobratio cap. 4. continenter eos fodicabit: *Via tua, & cogitationes tua fecerunt hæc tibi: ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum.*

Certè barbarus quidam ex Canadâ juvenis, ut patet ex relatione anni 1642. cum nescio quam culpam admisisset, primum arboris fuculis in ejus penam acriter se verberavit, usque dum verberando lassesceret;

226.
Item dolor dolori.

227.
Superat mortalium contritionem.

eeret; deinde variâ, savaque incisione digitos deformavit. Jam cum quidam vir Sancto Vincentio crimen aliquod execrabile confessus fuisset, & hic orationem Dominicam cum Angelicâ salutatione tertio repetendam in poenam illi constituisset, oratione vix semel absoluta, vi doloris ad pedes ejus exanimis concidit. Non ab simile est, quod mulieri non honestæ famæ in Angliâ contigit. Hæc enim concionatoris voce, at divino præsertim spiritu, scelerumque dolore medullitibus ista, secundò orantem voce lamentabili interpellavit, è mediâ turbâ consurgens (credo ad flagitiorum confessionem) sed secundò iussa est perorationem prætolari. Verùm cum tertio horrendum clamans interpellasset, in faciem mortua corruit. Quid? quod Tereisa non modò suarum, sed & alienarum noxarum horrore, doloréque tanto afficiebatur, ut etiam corporis membra ei velut commolita, contritaque essent, & verò ipsa mori mallet, quàm Numinis iniurias pati. Quod si ergo mortales tam acerbis dolor lancinar ob conscientiam criminum, etiam alienorum, quantus Deus bone! pios manes excruciat! quantus profectò sufficit ad vitam pluribus mortalibus adimendam; quoniam plurium ex his notitia malitiæ peccati, cum ejusdem cognitione unius è piis manibus, nequit componi: sed fortè Deus, ut sapius dixi, merorem temperat.

228.
Pater ex-
plo Conver-
si defuncti.

Sed rem hanc meliùs exponet unus ex illis, atque ex ipso lustrali ergastulo. Etenim libro quinto Insinuationum divinæ pietatis cap. 5. refertur, & nos antea retulimus: *Hermannii religiosi existentem in purgatorio animam apparuisse cuidam Moniali; qua cum quaesivisset ab eâ, pro qua re nunc maximè gravaris; respondit anima, propter propriam voluntatem, & proprium consilium. Nam cum benefeci alicui, deletabar magis propriam voluntatem perficere, quàm alterius consilium, unde, & pro eo nunc tantum gravamen conscientia perfero, ut si in unum redigerentur omnium mortalium gravamina cordium, totum illud meo solius gravamini impar videretur.* Si ergo noxæ in speciem levis, molesta adèò memoria fuit illi animæ, ut omnium mortalium ægritudinem animi, acerbitate superaret, quid faciet memoria gravium, ac complurium flagitiorum? Sed illi animæ mentiri nesciæ, addamus Angelum Beatæ Mariæ Aiofrinæ, Ordinis S. Hieronymi Sanctimonialis, Custodem. Et huic tutissimè creditur, Quondam passâ est illa ecstasim dierum quadraginta, quo tempore ejus lateri plagam Christus induxit, ut

sibi similiorem redderet. Tum ad purgantia loca, mente traducta est, ubi nihil, nisi gemitus, questusque audit miserabilium animarum. Videre autem sibi visa est multiplex genus belluarum adèò terribilium, ut, vel earum conspectus hominem necare valeret; item vim vermium adèò ingentem, ut vix esset, ubi figeret pedem. Quos inter vermes unum animadvertit longissimum, latumque quater-nos digitos. Testa illi ærea, ungues acutissimi. Tum Tutelaris hic ait, vermis est conscientia, individuus peccatoris comes, etiam post fata. Hic ipse omni tormento acerbius, miserum tunc urget, continenter ei improperans noxas: & neglectas ab illo, nec paucas, & faciles vias tot, tantasque poenas evadendi. Hæc Angelus. Ex quibus illa conscientia palmatis, ut sic loquar, in Purgatorio tyrannus plus satis apparet. Quare non est mihi ambiguum quin lacrymas sanguineas darent, si suppetent: imò pro explorato habeo, malle illos omnia simul tartari tormenta perpeti, quàm apud Deum toties, & tam vecorditer offendisse. Nam si Anselmi ea mens erat, ut potius in orcum, quàm in noxam aliquam præcipitem se dedisset; quis dubitet; ita constitutos esse pios manes, ut mallerent se omnibus poenis addictos, quàm ullius criminis reos? Itaque expiandis, quas adèò detestantur noxis, libentissimè justitiæ divinæ se submitunt, ejusque destinata sibi supplicia persolvunt, ut cum Jeremiâ, & veriùs, quàm Jeremias dicere possint: *Iram Domini portabo, & cum Davide: Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* At vos ò mortales! vos qui nunc abjecto omni pudore præcipites itis in scelera, dicite, *Quis sapiens, & intelliget ista? Quis intelligens, & sciet hæc, quæ de pudore, doloréque, quem noxæ olim creant, disputavimus, ne deinceps eas tam facile admittat.*

S. 2.

Dolor piorum manuum ex iis, quæ vel peccato mortifero insunt, vel ex eo consequuntur.

BREVITER, accompendio rem istam expedio, & tantum ea attingo, quatenus ferè ad pios manes propriè pertinent. Gravissimum autem quod noxæ lethifera inest, est Deicidium; quàm verò triste illis sit, illud quoquomodo attentasse, ex eo liquet, quod illius summæ bonitatis, ac sapientia beneficio ad gloriam fruendam sese

229.
Dolor de
Deicidio.

Patrocinium Defunctorum. *Lib. I. 71*

sele electos vident, absque quâ bonitate esset, in miseriarum omnium baratrum fuissent ruituri. Adde acerbissimum esse, iustitiam divinam, quantum in ipsis erat, exterminare voluisse, cum ejus ope paucorum bonorum operum mercedem immensam sele norint accepturos. Id verò caput est mœroris, & supra quàm dici, aut concipi potest, acerbum; Eodem pacto suscepisse illas statum damnatorum, Deum perire revera cupientium, ut pœnarum suarum quadam immensitate liberentur. Etenim luctuosissimum est cœli candidatis ejusdem potiundi jus aliquando in æternum renunciasse: molestissimum Numini gratiosis, omnem ejus gratiam, misericordiamque in æternum abjecisse: acerbissimum ejusdem amicissimis, juratis illius hostibus æternum se dedidisse. Turpissimum divinitatis videndæ, possidendæque cupidissimis ferale illius odium in æternum amplexos esse. Denique intolerabile est Dei præconibus in necessitatem quamdam se conjecisse, contumeliis, & male dictis eundem in æternum proscindendi.

230. *De Christicidio.* Jam de Christicidio quid dicam? siquidem certissimè cognoscunt se ejus sanguine, & meritis non modò redemptas, sed & cœlesti gloriæ destinatas esse: quàm igitur triste est sanguinem illum impiè fundere, & sacrilegè proculcare voluisse! Norunt etiam quotidie sele non parum levati, dum fideles populi *hauriunt aquas de fontibus Salvatoris*, & quâ piis operibus, quâ sacrificio, quâ Indulgentiâ Pontificiâ in lustrales flammâs profundunt: quàm igitur illis durum tam perfidè, tam atrociter Christum accepisse! Denique Sponsæ illius sunt, & quidem carissimæ, amantissimæque: Quis igitur explicet, quàm intolerabili cum dolore parricidales manus suas aspiciant ejus cruore asperfas?

231. *De abjectione spiritus sancti.* Cæterùm en tibi alium copiosissimum fontem lacrymarum, exterminasse ex animo Spiritum Sanctum, cui jam indissolubili amoris vinculo cõjunctissimi sunt; hic enim ille est amoris Deus, & Amor ipse, quem aliquando aspernatos esse, nedum turpiter ejecisse, honestissimis illis animis intolerandum est. Hic ille est defunctorum maximè Paracletus, sive advocatus, qui quoniam eorum causam justissimam, & calamitatem gravissimam novit, *Postulat pro eis gemitibus inenarrabilibus*. Hic denique ille est à quo quidquid solatii habent, vel sperant, accipiunt. Hunc igitur exturbasse domo suâ, ejusque templa turpissimè violasse, quàm probrosus est piis æquè, ac puris manibus, quàmque luctuosum!

His tamen accedit non impar dolor de gratiæ habitualis privatione. Cum enim jam clarissimè percipiant nihil in rebus conditis præstabilius esse posse, eaque ad personam divinam proximè sele accedere: cum pariter intelligant, ac summopere gaudeant singulari Numinis protectione in illa confirmatos esse, nempe summopere dolent eadem rejectâ abjecisse se infra Dæmonem, resque omnes conditas: cum eodem pacto servitatem Dæmonis ambiverint, quo gratiam amicitiamque Dei repudiavere.

232. *De privatione gratiæ.* Jam abjectio, extinctioque dignitatis filii Dei, quàm dedecorosa illis, quàmque lamentabilis est! scilicet quàm iisdem jam gloriosum est eâ dignitate frui, & æternum fruituros esse quàm jucundum est sincerissimo filii amore Patrem illum misericordiarum prosequi, adeò ut etiam severissimè castigantis manum deosculentur? quàm certum, fixumque est illius nutus omnes deinceps sequi etiam per tormentorum acerbissima, ac voluntati se profusus accommodare, ita quidem ut ab eâ defletere, aut in eum peccare nequeant.

233. *De abjectione filii Dei.* Porro illi dedecori consequens est hoc alterum, quòd aliquando per peccatum jure cœlestis hæreditatis, ad quam tantopere anhelant, omninò, & ultrò sele spoliarent: siquidem nihil hoc aliud est, quàm beatitudinem cõtempnisse, quod summæ vesanix est. quod eò illis acerbius, quòd & beatitudinis momentum iam penitus percipiunt, & ideò ardentissimè eam expetunt. Et interea semper obversatur hæc funesta recordatio desiderii, velut sele opponens, eaque repellens! *Despexisti semen gloriæ, Cælum abdicasti, & quæ cælo continentur, repudiasti*. In quo ipso lamentabile est Reginæ cœli, quam sibi iam propitiam summopere vovent, pariterque cælitum omnium societatem aspernatos esse. Nam conscientia tam probrosi sceleris ita illis hæc & similia exprobrat, quasi vox esset ipsa immaculatæ cœli Reginæ, Sanctorumque omnium idem expostulantium. Atque adeò supra quàm dici potest miseros lancinat.

234. *De renunciatione hæreditatis cœlestis.* Denique ut finem faciam, sunt enim & alia noxæ lethalis effecta, gravissimè pios manes torquet, quòd æternam damnationem sint aliquando commeriti. Ut enim in humanis non modò turpe, ac calamitosum est in crucem agi, aut capite minui, sed & id genus supplicii fuisse meritum; sic haud dubiè tormenta Numinis hostibus debita fuisse commeritos, defunctis Dei amantissimis tristissimum est: quippe non tam in supplicio ipso, quàm eius merito turpi-

turpitudine, & infamia sita est. Cùm ergo abjectissima sit damnatorum conditio, non tantum durissima, abesse nequit, quin & probrosum in primis, ac pudendum sit illius reos se constituisse.

236.
Crimina
cōtra reum
pugnant.

Quæ cùm ita sint, in nunc, qui legis hæc, audisve, scelera sceleribus aude cumulare: imò etiam atque etiam cave: alioqui, & ad te spectant hæc Numinis minæ Psal. 42. *arguam te, & statuam contra faciem tuam.* inquam, statuam contra te, ut ex hebræo liquet, sive scelera ipsa tua tibi hostiliter opponet, & quidem velut in aciem ordinata, ut miseram animam tuam aliquando oppugnent, lancinent, confodiant, & velut contrucident. Sed enim alieno malo sapere decernes, imò, & moveri te senties. Ergo piis manibus requiem à tam infelici conflictu, vel prece, vel pretio redime, atque adeò pacem illis procura felicissimam, & æternam.

ARTICULUS IV.

Tristitia piorum manium ex neglectu satisfactionis.

S. 5.

Agit de satisfactione piorum operum.

P R Æ F A T I O.

237.
Generatim
exponit.

Queritur Jerusalem, plangitque apud Jeremiam Vatem Threnorum cap. I. rem mirandam. Nam de Deo Judice loquens, *Vocavit*, ait, *adversum me tempus*; Quorsum? scilicet, ut ipsum tempus miseram illam ream, vel testis, vel accusator ageret. Quid ita? Quoniam cùm conditum esset, ei que concessum ad præstandum vero Numini obsequium, ac cultum, malefana ad idololatriam, & scelera omne genus, tempore abusa esset. Non dissimili ratione ingemiscunt pii manes graviter redargui se a tempore, quod in vivis transgère, quia cùm datum eis esset ad facilem pro culpis suis satisfactionem, per intolerabilem socordiam suam otiosè illud sefellere. Porro tot sunt illius voces, quot horæ, imò quot momenta; nec pauciora capita accusationis. Propterea quòd omnia præterita vitæ momenta eorum mentibus sese obtrudant, simulque propriam singulis momentis satisfaciendi opportunitatem, cujus neglectum accusant. Atque hinc non modicus piorum manium meror; hinc illi gemitus, *nolui dum possem; non possum, dum vellem.* O mihi præteritos referat si *Conditor annos*; sed heu! *tempus non erit am-*

plius. Apoc. 10. *Eheu! homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra prætereunt.* Pl. 143. Quàm enim vanum, atque insanum est, sinere ut dies, & anni præterfluant velut umbra, quippe inanes, & meriti, & satisfactionis, cùm utroque pleni duci possent, & facili negotio pretioque longos, & ingentes cruciatus redimere! Ecce clamat & ingemit unaquæque anima, *mensurabiles posuisti dies meos*, & brevi sanè mensurâ, & tamen *substantia mea tamquam nihilum ante te.* Pl. 38. Cùm enim breve spatium vitæ cumulandis meritis, solvendisque levi pretio nozarum mearum pœnis, totum impendendum fuisset, cheu! prope totum vacuum abiit, & licet variis negotiis distentum, laboribusque exercitum, judicio divino instar flocci, ac nihili reputatum est, quia mundo, non Deo, ac salutis impensum. Ita, quod Jobus gemebat cap. 17. *dies mei transferunt: cogitationes mea dissipata sunt*, torquentes cor meum; ille, inquam, cogitationes, quibus lætabam animum spe inani aliquando satisfaciendi, dissipatæ quidem sunt, attamen, non cessant jam distorquere, & excruciare animum. Vis nosse quanto supplicio? expende iterum pœnam omnem damni; huic adjice pœnam sensûs. Cùm enim hæc utraque pios manes affligat, tantò acerbius est utramque in tempore, & parvo pretio non solvisse; quanto gravius utraque lævit in miseros.

P A R S P R I M A.

Stultitia, dolorque Defunctorum ob neglectam eleëmofynam.

Sed juvat illam calamitatem distinctius ac diutius trutinare. Quare *Vita, mercatus.* 238. cùm tria sint operum satisfacere potentium genera, quibus accedunt sacramenta, sacrificia, & indulgentiæ, ex eorum neglectu mortalium socordiam, ex socordia fatuitatem ex fatuitate tristissimam piorum manium metanceam æstimatum eo.

Ordior itaque à neglectu eleëmofynæ, & obiter illius dānum expendo. Constat, ut diximus ante, vitam hanc mercatum esse, & negotiationem. Astruit hoc ipsa Veritas variis parabolis. Huc enim spectat illa de talentis, de mnâ quoque ad lucrum servis traditâ, & disertè, *Simile est, inquit, Regnum cælorum homini negotiatori.* Math. 13. Quin, & ab Ezechiele cap. 17. mundus hic magna civitas, & urbs negotiatorum esse insinuat. Consentiant utique SS. Patres, quos inter Nazianzenus lib. 1. sent. spirit: sic canit.

Vitam

Patrocinium Defunctorum. Lib. I. 73

Vitam esse nostram crede veras nundinas.

mirare lucra, si sequare. nam licet aeterna fluxis, vilibusque maxima, Sin illa fugit, tempus baud aliud venit.

Mitto Macharii, Laurentii Justiniani, aliorumque autoritates. Sed industriam R. P. Gonsalvi Silveriae ex Soc. JESU, ex eiusmodi consideratione haustam praeterire nequeo. Agebat Monomotapa in Apostolico munere, quando, ut ait, Sacchinus Hist. Soc. tom. 2. lib. 4. plurimum commovebatur, sacrum se mercatorem cogitans, totumque Dei negotiis ac curis occupatum, ac sortem divini sanguinis exercentem, nec homines Societatis, nisi negotiatores & insitiores eiusmodi esse dicebat: atque in quadam ad Generalem Praepositum epistola. Ego, ait, *incidi in venam huius sanctae negotiationis, beata obedientia. ductu, in terra auri feracissima, nec animus ultra est alias fodinas usquam, nec quietem, aut artes cogitare.* Ita ipse, qui & addit miras ex eiusmodi venarum inventionem affluere in animum voluptates. Est autem nobis commercium cum ipso Deo. Is ad gloriae suae, velut lucrum, facultates intra & supra naturam fitas, nobis tribuit, intelligentiam scilicet, & voluntatem, gratias item multiplices, ac plurimas, cuique pro suo arbitratu ac bonitate. Ea tamen lege, ut nos, quod nostrarum est partium, iis facultatibus, illius gloriam divinam sedulo ac sincere queramus. Utrumque conventum, dum natura rationis compos nobis indita est; hac enim accepta, eam legem atque obligationem suscepimus, cum ratio dicet non alium in finem naturae & gratiae dona referenda esse, quam in eum, quem ipse Conditor & largitor Deus illa contulit. Atqui contra ius fasque frequenter naturae facultates in praevalens usus finesque detorqueamus; gratiae etiam dona habemus despectui: certe quidem negligimus, si non omnino repudiemus. Ita Deo multis nominibus obstricti, & valde obarati sumus. Neque enim tantummodo quaestum illius gloriae non facimus, dum licet, verum etiam honori detrahimus, dum peccamus.

239.
Ejus rem-
pus.

Igitur ea nomina nobis expungenda sunt, & Deo faciendum satis. Quis modus? Quod tempus, quaeve opportunitas? modus, si stipem largiaris egentibus; tempus, ut diximus, huius vitae spatio continetur. Cum enim auctore Sapiente Eccles. omni negotio sit tempus & opportunitas, & eodem teste *acquirendi, & tempus perdendi*, seu ut habet Arabicus *iaculam faciendi* Eccles. 3. acquirendi tempus decreto

Numinis huius vitae curriculo definitum est, & cum gratiae acquisitionem, seu meritum semper comitetur vis satisfaciendi, haec quoque vitae huius fines non praetergreditur. Quare altera in vita, sola regnat iustitia, & omnia debita ad novissimum usque quadrantem exigit.

Atque hinc perspecta est infania mortali-
240.
lium, utique procrastinantium in dies satisfactionem, ac stipem in egenos, ac potius renuentium eam, ut ut noverint illa hic neglecta sibi omnia omnino debita persolvenda esse. Sic enim ista se res habet, Dicit tibi Deus, Mi homo, debes mihi aureos mille: verumtamen, si pauperibus illis teruncium mea causa dones, centum aureos tibi remitto. Quid homo? Mi Deus, inquit, gratiam istam tuam tibi habe, non libet quidquam jam solvere, non cuiquam, donare; si postea centum aurei solvendi, ferendum erit, solvam: quanta illa fatuitas! Sed audi rem miram. Non multos ante annos perscriptae sunt ad mercatorem quendam litterae, quibus significabatur dupliones Hispanicos ferme alterum tantum valere in provincia Narbonensi, quo pecunia citra omne periculum ac difficultatem transferti posset. Ille cunctatus mittere, non modo lucrum illud ferius desideravit, sed & dupliones amisit, & cum creditoribus non esset solvendo, in custodiam datus est. Vesaniam hominis! exclamas, & merito: sed fabula de te narratur, aut veritas potius demonstratur. Nam mercator es, ut est observatum, & dupliones Hispanicos, aliudve nummorum genus expendere potes, in Narbonensi, & in Flandricae, & in Arthesiana, in omni denique provincia, cum lucro non modo altero tanto, sed centies majore, si in egenos divides; cessas tamen, & cessare statuis deinceps. Et brevi erit, cum & lucro, & duplionibus una cum vita, pereuntibus, impar solvendo supremo rerum domino, in carcerem detrueris: quanta ista tua fatuitas est! Sed a parabolis abeamus. De Piratininga, Brasiliae regione, sic memorat Sebastianus Beretarius Societatis JESU in vita P. Anchietae eiusdem Soc. *Armenta quoque boum, equorumque tanto numero illic fetificant, ut equi valde boni, vilissimarum rerum, galeri unius, aut geminorum e panno tibialium commutatione parentur: fuit cum vacca novem aris alieni nomine, minoris quam nummorum trium aureorum, ad bastam licitatore in venerunt. De soli fertilitate frumenti non dubitant asserere mensura unius fructum in centenas multiplicari: sic ipse. Nec dissimilia de aliis nonnullis novi orbis regionibus accepimus. Quod*

240.
scultura
non satisfacient. un
elemofy-
na.

K

si vero

si verò tibialium Tornacensium commutatione tot equos, vaccasque Europæas mercator sibi parare, & facile in Belgium, breviq̄ue advehere posset, nemo tam sui lucrī negligens foret, ut illud missum faceret. At ejusmodi bona fors cuique homini Christiano in promptu ac manibus est, imò haud paulò melior. Etenim det egenis galerum aut galeri pretium, & pinguium vaccarum licet, Christi optimæ satisfactiones ei reddentur, quarum pretio sese ære alieno exoneret, liberq̄ue abeat ad cœlites. Equus item addetur, & Pegaseus quidem, ad celerem ad eos volatum.

241.
Inde mæror
defunctorum.

Cùm igitur hæc, & ejusmodi communi mortalium fœcordiâ neglexerint pii manes, scilicet tanto ære Deo jam obstricti, vicem suam non mediocriter lugent. Nam si plurimi mortem, creditorum importunitati præoptant: Si Alexandrinus ille debitor præ onere æris alieni, & eorumdem molestiis, in laqueum se illicò induturus erat, nisi à Virgine adhuc paganâ, sed post, Angelorum ope ob benignissimum in eum animum Christianis lacris initiatâ, facultatum suarum sponcione revocatus fuisset: nemo dubitare potest, quin nominum multitudo, ac gravitas, vel unicæ defuncti animæ molestior sit, quàm debitoribus hujus mundi quantalibet sua debita. Etenim piorum manium debita, & sunt altioris ordinis, & facilius poterant persolvi, & menti semper sine ullâ intermissione obversantur, & nunc damnum ex iis profectum perspicacius cernitur, & pœna in centuplum aucta, memoriam neglectus ea solvendi reddit molestissimam. Præsertim si in illos quadret hæc Numinis in Tyrum exprobratio, quæ sanè quadrat in multos. *Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos, in multitudine divitiarum tuarum, & populorum tuorum dilatasti Reges terræ, nunc contrita es à mari, in profundis aquarum opes tuæ,* Ezech. cap. 27. Si, inquam, animæ alicui, conscientia impropere sua, mercibus suis, seu facultatibus mentis, ac corporis, fortunisque quibus cœlum emere, & pœnam carceris purgatorii redimere licebat, impleste multos etiam populos, ut faciunt, qui rebus ac negotiis publicis aut præstant, aut aliter profunt, & tamen sese unam neglexisse, aliis beneficam, sibi perparcam, aut potius crudelē, minimis aliorum negotiis intentam, & salutis suæ oblitam. Quàm enim duram, quàm funestam esse ejusmodi exprobrationem necessum est! Quid dicam, & quis satis explicet mœrorem ejusdem animæ, si, quod etiam multorum crimen, & vesania est infinita:

si, inquam, fortunis suis paverit greges canum venaticorum, turmas parasitorum, & luparum catervas; de suis autem nominibus delendis minimum omnium laborarit? Quàm luctuosum illi erit meminisse illa Siracidæ: *fili, si habes, benefac tecum,* id est, tibi. Eccl. 14. Item *miserere animæ tuæ iplacens Deo,* ejusdem cap. 30. Illa item Christi, *fili huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Cùm enim nemo ex mundi affectis, non sui primum commodi rationem habeat, usque eo, ut litibus, & armis rem suam, & suorum quisque non segniter tueatur: Quàm pauci sunt ex Christianis, qui supparem animæ suæ curam suscipiant! Quàm igitur pauci ex piis manibus, quos ingens ejus negligentia pœnitentia non acerbissimè pungat!

PARS SECUNDA.

Dolor eorumdem ob neglectum ieiunium.

SED hanc eandem metancam, ex neglectu alterius generis bonorum operum videamus. Ieiunium illud vocatur, sed ad illud omne genus voluntariæ pœnæ, quæ vel animo, vel corpori infertur, revocari consuevit. Porro neglectus ille insignem quoque insaniam sibi conjunctam habet. Cùm enim hac in vitâ pœnæ non nisi levissimæ, brevissimæque sint, si cum purgantibus componantur, qui subire illas, aut negligit, aut detrectat, reum se purgantium ultrò facit, id est, atrocissimis, & longissimis se subjicit, cùm posset cum levissimis brevissimisque eas commutare. Quæ verò dementia ista est!

242.
Stulticia
non satisfacientium
ieiunio.

Quis enim tam demens filius familias qui tortoris manu, ac propalam crura sibi frangi malit, quàm paternâ virgâ domi castigari? Quis leviculæ febris non anteponat calculi ac podagræ cruciamentum? Quis hodie non malit silere tantisper quàm craftinò linguam sibi lentè extrahi lacerariq̄ue? nonne dementissimus hoc in genere Adamus, qui paradiso & immortalitate excidere, gravissimòque per nongentos annos labore exerceri maluit, quàm pomi esu, quo sub mortis pœnâ prohibebatur, abstinere? Nonne uxor Lothi fatuissima fuisset, si sciens, prudensq̄ue pœnæ ob retortos Sodomam versus oculos imponendæ, in statuum salis converteri nihil pensi habuisset, modò indulgeret curiositati? nonne superbus ille Aman facile tulisset Mardochæum sibi genua honoris causâ non curvare, si in paratam illi, ob ejusmodi neglectum, crucem sese tollendum prævidisset? Certè stulti

243.
Similibus
demonstratur.

Patrocinium Defunctorum. Lib. I. 75

stulti fuere Sodomitarum, qui cum ignorare non possent propositum turpitudini suae gravissimum supplicium, tamen illi inhæserunt, usque dum caelestis ac sulphureus ignis eos involvit. Stultiores Noëmo coevi, qui auditam tamdiu illius interminatione, ac vaticinio diluvii, nisi vitam correctam vellent, infamem voluptatem ulticibus undis extinguere coacti sunt. Stultissimus denique Roboamus Judæorum Rex, qui cum animadverteret populum ad seditionem pronum, nisi æqua postulanti acquiesceret, & insuper audiret consilium senum idem sibi communi consensu suadentium, eo spreto, adolescentum vesaniam secutus, cum insolenter populi preces repulisset, & ipse ab eo repulsus, potissimum Regni partem perdidit.

244.
Eosdem
manes cru-
ciat.

Atqui omne illud insaniam genus in pios manes convenit, spreto enim non consiliis modo, sed & præceptis divinis caelesti regno exciderunt, certe multi non ad minus temporis, quam imperium Israeliticum Roboamus tenuisset. Et quoties minas supremi Judicis, vel ex ipsius litteris, vel ex ore Cõcionatorum Noëmo similium, frustra audire! Quoties velut Sodomitas, conscientia criminum commertæ pænæ illos admonuit! Quoties (quod Amano, ac Loti uxori non contigit) instantem sibi ultionem prævidere! Quoties supra Adamum commoniti sunt, subeundorum sibi olim cruciatuum morte, & longissimis laboribus graviorum, nisi veritas abstinere! Hæc igitur multiplex insaniam, ut par est, gravissimè eos excruciat. *Nunc enim iniquitas*, ut prædixit Ezechiel. cap. 27. *surrexit in virgâ, sive, in virgam, & igneam quidem, quâ miseri flagellantur: nec enim tam Deus, quam illorum vesania eos castigat: Nunc afflictio una, afflictio ecce venit, finis venit, venit finis, evigilavit adversum te. O misera anima, ecce venit.* Qualis est enim afflictio illa, quæ dicitur *una*? *Perfecta*, respondent Interpretes, *singularis, extrema, funestissima.* Nonne igitur ipsamet est afflictio purgatorii? Illa, illa, quæ dum viveres, indormiscere te dormiente & somnia mundi somniantem videbatur, tandem *evigilavit adversum te, venit enim finis. Ecce*, heu nimium percipis! *venit finis*, quando scelerum pænâs, quas facili satisfactione in vivis delere poteras, nunc integra solutione citra ullam misericordiam pendere habes, adeo ut cum insaniam eorum, quos memoravimus, insigni tuâ, multipliciter superaris, effectum in te detur, quod olim ejusdem Vatis Ezech. cap. 5. oraculo prædictum fuit hisce verbis. *Et faciam in te, quod non*

feci, & quibus similia ultra non faciam, quia nimirum quidquid pænârum Deus hoc in mundo infligit, cedit Purgatorii cruciamento. O si! O si! hæc, & ejusmodi melius expendisses, tam acerba pœnitentia non te excarnificaret. Si perfidam carnem pro meritis puniisses, nunc animus hæc flammâ non arderet. Si insolentiam affectionum animi fregisses, nunc libera cœlo exspatiarere. Si denique tantillum Christi ac salutis causâ passâ fuisses, nunc pænâ omnium immunis, cœli deliciis fruerere. Sed quia alia omnia maluisti, alia omnia meritò experiris. Ita luget unaquæque anima, sed frustra. Ita *plorans ploravit in nocte*, ac caliginoso purgatorii carcere, *& lacrima eius in maxillis eius.*

PARS TERTIA.

Dolor ob neglectam orationem.

VERUM & aliud plorat, nec plorare nocte dieque desinit. Constat inter ea, quæ virtute pollent satisfaciendi, orationem, seu preces, rem omnium facillimam esse, constat ejus beneficio purgatorii pœnas facile redimi. Cujus rei umbram aliquam dedit, seu Abigail mortem mariti, omnisque familiæ suæ ruinam precibus ad Davidem fufis avertendo: seu Esther Regina à Mardochæo patruo suo, malam crucem, atque à populo suo Judaico, interneccionem oratione ad Assuerum Regem habitâ amolendo. Sic enim fidelis anima, & suam & amicorum salutem, liberationemque à pœnis, quæ inimica scelera illi in purgatorio intentant, non ægrè potest obtinere, piè constanterque precando. Etenim ex omnium SS. Patrum sententiâ, Oratio Deum Judicem in Patrem convertit, imò ejus iustitiæ fortiter, non minus, quam suaviter se opponit, ei que, ne feriat, manus constringit. Ex quibus manifesta fit eorum dementia, qui orationem negligunt.

245.
Stulticia
non satisfacientium
oratione.

Perinde enim se gerunt, ac stultus ille Nabal Abigailis conjux, qui Davidis famulis contumeliâ oneratis, ipsoque propterea justâ irâ accenso, tunc vino ingurgitatus jacebat, quando David ad vindictam in illum, totamque ejus familiam effundendam properabat. Perinde quoque agunt, atque ageret reus noxarum capitalium, qui ne dignaretur quidem pœnam à se deprecari, cum certò sciret precibus vel minuendam, vel remittendam: Perinde denique agunt, atque illi, qui exilii, aut tritemium laborem minoris facerent, quam veniæ petendæ submissionem. Quid? quòd nemo est tam bardus, ac mentis inops, qui pœnam mediocrem non noverit, aut negligat precibus à se depellere; Quantæ igitur

246.
Exemplis
ostenditur.

igitur vesaniæ est non mediocrem, sed ingentem exiliu incendiique lustralis pœnam, cum vitare aut minuere precibus queas, ita negligere ac vilipendere; ac si nulla esset, aut si veniæ petendæ modum planè ignorares!

247.
Eliseus cū
in figurā
reprehendit.

Huc profectò accommodari potest mirabilis historia Elisæi, jam extremum agrotantis, Ioasque Regem Israel reprehendentis, valde arcanâ hætenus, ignotâque Interpretibus causâ. Sic igitur sacer Historicus. *Elisæus autem agrotabat infirmitate, qua & mortuus est, descenditque ad eum Joas, Rex Israel, & flebat coram eò, dicebatque: Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga eius, & ait Elisæus: Affer arcum, & sagittas: cumque attulisset ad eum arcum, & sagittas, dixit ad Regem Israel: Pone manum tuam super arcum: & cum posuisset ille manum, superposuit Elisæus manus suas manibus Regis, & ait Regi: aperi fenestram orientalem; cumque aperuisset, dixit Elisæus: iace sagittam & uerit: & ait Elisæus: sagitta salutis Domini, & sagitta, salutis contra Syriam, percussitque Syriam in Aphec, donec consumas eam: & ait, tolle sagittas, qui cum tulisset, rursus dixit, percutite iaculo terram, & cum percussisset tribus vicibus, & steterisset, iratus est vir Dei contra eum: & ait, si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem, nunc autem tribus vicibus percussit eam. Hætenus secer Historicus. Hic multa quæstio SS. Patrum & Interpretum. Cur enim Regi irasceris, ô Propheta, quod pluries terram non percussit Ioas? unde enim nosse potuit percussionum numero æquandum numerum victoriarum? Probabile est, quod censent Abulensis & Sanctius, id Vati quidem notum, sed divinâ voluntate celatum esse Ioas, tantumque illi diserte injunctum, ut sæpe terram percuteret: non facturus utique, nisi id illi dictum fuisset. Quid porrò sagitta denotat? nimirum orationem: est namque vera Domini sagitta, sive quia à Domino in orantis animo, velut in pharetrâ imponitur, sive quia cor Domini penetrat, & sanguinem ex eo elicit, id est, meritorum Sanguinis Christi largam in nos effusionem obtinet; sive quia sagitta salutis est à Domino contra hostes nostros, id est, noxas nostras pœnis nostris inhiantes. Si ergo Joas terram, quæ hostilem regionem designabat, sæpius ab Elisæo iussus percudere iaculo, jure ab illo reprehensus est, quod tertio dumtaxat percussisset: mortales illam semper percudere iussi, ad delendos penitus hostes, seu noxas suas,*

& earum sobolem, id est, pœnas extinguentes, si id facere cunctentur, si reculent, si rariùs ac fermè numquam precantur, certè, & meritò, dementiae accusandi sunt, & suppliciis purgantibus, utcumque funesta sint, adjudicandi.

Hæc igitur etiam dementia pios manes mœrore conficit. Etsi enim certum sit, ut ait Suarius Tom. 2. de relig. cap. II. eos quidem Deum pro seipsis orare posse, tum quia Deo cari sunt, tum quia multis rebus indigent, quæ honestissimâ de causâ desiderare possunt, & petere: etsi exploratum quoque sit illos posse impetrare, quia cum Deo cari sint, & nihil nisi honestum, honestoque sine desiderare queant, & postulare, digni sunt qui exaudiantur; tamen non minus exploratum est eorum orationem, uti meriti, ita satisfactionis incapacem esse. Porrò cum ad orationis certam efficaciam, promissio divina requiratur (quoniam oratio naturâ quidem suâ allicit ad concedendum quod petitur, sed non compellit, nisi promissione ejus, qui fallere non potest, fulciatur) ambi potest an supremus Judex, idemque Pater, decreverit ac promiserit orationi piorum manium pro se fusæ tantum tribuere, quantum orationi viatorum, cæteris paribus, etsi sola vis impetrandi, non satisfaciendi spectetur. Et dubitationem auget, quod pii manes ex maximâ in Deum caritate liberationem à pœnis flagitant, maximâque cum perseverantiâ orationis; quam utramque necesse effert hac in vita plurimum obtinere, etsi faceres mortalem solâ sibi reservatâ impetrandi virtute omne jus satisfactionis ab sese in alterum transferre. Ex quibus conficitur interpositâ conditione parâ impetrationis in viatore, ac defuncto, cæterisque paribus, fore ut defunctus, maximè ex sanctioribus, libertatem suam brevi consequeretur; quod tamen falsum est. Dicendum ergo videtur pios manes non proximè à Deo impetrare libertatem, aut pœnarum remissionem, uti mortales possunt, sed id tantum, ut pii mortales ipsos quoquo modo solentur ac juvent. Quòd si verò quis eos per se aliquid à Deo obtinere velit, non incredibile est illud tam facile illis, quam mortalibus, esse concedendum.

Ut ut est, dici non potest, quanti hæc sit scaturigo mœroris, potuisse precibus, vel suis, vel alienis, quas in manu habebant, redimere tam acerbi ignis tormentum, & neglexisse. Quòd enim fuit expeditior liberationis occasio, quâ volens excidisti, eò malum atrocius est, quia pœnitentia molestior, maximè si occasio illa redire

248.
Oratio piorum manium pro se intelligit.

249.
Hinc pœnitentiam eos dum viverent non orasse.

redire amplius nequit Atqui verius quam Jerofolyma ore Jeremix, sic plangat unaquæque anima. *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.* Thren. 3. non modò ne exire hinc valeam, sed ut ne quidem è cælo facile exaudiri possim, dum nocte dieque è mediis flammis in clamo misericordiam, sed meritò surdum mihi factum est Numen, quia cum audire me, & exaudire cuperet, precari renui. Heu nimis serò nunc exprior, audiendum olim mihi fuisse illud Prophetæ. *Quarite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum dum prope est.* Isaiæ 55. Quod tempus Interpres Chaldæus, tempus hujus vitæ interpretatur. *Neque enim,* ut D. Bernardus monebat Serm. 5. de Quadrag tunc erit invocandi tempus, quando memini proximus erit Deus, sed aliis quidem præsens, Cælitibus utique, aliis verò nimis remotus, scilicet in hoc terræ centro jacentibus. Quare verè dixerò, quod Jobus cap. 19. *Eccè clamabo vum patiens, et nemo audit; vociferabor, & non est qui iudicet ad miserandum. Semitam meam circumsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit.* Ita loqui possit quælibet anima.

250. Sed sunt, quas longè sævior metancea
Dum tem-
pori, & la-
bori non
parcunt ad
ditandos
hæredes.
discruciat. Illæ nimirum, quibus convenit illa Sapientis indignatio; *Rursus detestatus sum omnem industriam meam, quæ sub sole studiosissimè laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens, an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, & sollicitus fui, & est quidquam tam vanum? sive ut vertit Chaldæus, & obstupui in corde meo, & dixi, hoc etiam vanitas.*

251. Enimverò gravissimè ferunt ita se hæredibus locupletandis infudasse, ut ad curam orationis & salutis vix sibi quidquam temporis reliquum fecerint: id quod plurimis consiliariis, & mercatoribus, & opificibus, & Advocatis contingere plus nimio comperit. Deinde tum quidem ignorasse, quibus opes relinquerent, tanto paratas labore, sed nunc sat nosse, ex eorum oblivione suæ calamitatis, ingrattissimos esse, & mendaces, & crudeles, & impios, quando vitâ functos. contra fidem, humanitatem, ac pietatem, & prece & stipe destituunt: legata ad piorum orationes, atque sacrificia procuranda, vel arrodunt, vel extinguunt, vel exequi negligunt, imò injuriam sibi factam putant, si defunctus paulò, quàm vellet, consultius suas voluntates firmârit, semperque fermè nimium est, quod animæ suæ in flammis arsuræ levamento reliquit.

Interea triumphant cum illius fortunis: illius autem? suis, volui dicere, nec enim in eis ullum parentum beneficium, sed solum jus suum agnoscunt. Heu miseri manes! tantine vobis erat, eos à vobis vel sic ditari, ut propterea comburi non recusaretis? Quid? quod damnant ipsi, ridentque immodicos sudores suâ causâ profusos, quando hilariter, atque intemperanter eos bibunt; tantum abest, ut vestri miserescant, & tantis ingemiscant ærumnis. Hæc igitur est immensæ, ut ita dicam, causâ mœstitiæ: maximè si, quod credibile est, Deus renunciari manibus per Angelos jubeat infelicem usum patrimonii opumque, quibus cum animæ suæ datno pepercere, scilicet in pœnam tam infani in suos amoris, atque in se parsimonix, ac crudelitatis. sed de his rursus suo loco.

§. I.

De satisfactione ex opere operatio.

PARS PRIMA.

Dolor Defunctorum ab neglecta Sacramenta.

252. CÆTERUM eò magis ingravescit hæc
stultitia, quò provehimur amplius. *Stulticia non satisfaciunt Sacramentis.*
Exploratum est enim Sacramentis multò insigniorem inesse vim satisfaciendi, quàm ullis operibus bonis, si par charitas, atque animi dispositio spectetur. Nam Sacramenta ex opere operato satisfaciunt, id est, si quidem animi ea suscipientis affectus, satisfactionis virtute polleat, vim illi novam ac peculiarem addunt, sin minus, modò absit obex culpæ lethalis, satisfactionem suscipienti conferunt. Adde, & in sacramento pœnitentiæ, pœnam, quæ ritè reo à Sacerdote imponitur, eadem virtute satisfactionis ex opere operato polleat. Ex quibus liquet, & quàm facile ac pronum sit, iis susceptis, criminum pœnas diluere, & quàm stultum non suscipere. Nam quod quidem ad confessionem attinet, tibi dicitur, ô mortalis, fatere Confessatio culpam, & non modò illam expiabis, quanta, quanta sit, sed etiam de pœnâ illi debitâ non parum delebis, ac fortasse illam totam. Age, desse crimina, elue illa lacrimis, & opus non erit igne eluere. Eia decerne eadem desinere, & corrigere vitam, & pariter supplicii illis debiti vinculo te exonerabis. Quid igitur stultius, quàm confessionem negligere? Insuper mandat tibi Sacerdos Christi nomine, ut in aliquam eorum pœnam, aut quinies recites orationem

orationem Dominicam ac salutationem Angelicam, aut Sertum Marianum percurras; quasi diceret, hoc fac, atque exilii & incendii poenâ te libero: quis sanus hanc optionem non admittat? Quid verò de SS. Synaxi dicam? mirum enim dictu! reus es & scelerum & cruciatuum: vis utrisque liber evadere? Euge Synaxim adi, divinæ mentis accumbe; virtute ipsius Sacramenti, seu directè, ut in scholis loquuntur, seu indirectè operantis (quid enim refert?) voti cōpos fies. Ergone poenæ loco est deliciosissimis divinitatis deliciis pasci? est omnino. O poenam suavem ac jucundam! ô quàm fatius est carbonem illum Seraphicum de altari sumere, eoque labia sua cum Isaiâ contingere, quàm flammis illis purgantibus immergi! quàm præstat adire illud cæleste convivium, quàm deportari in caliginosum purgatorii exilium! mitto Sacramentalia, quorum vis ad virtutem Sacramentorum aliquatenus accedit.

253.
Adumbratur
historia
Caini.

Et quare ex te, mi lector Christiane, quid de Caino sentias hac super re. Cainus moerore, ira, odio, invidiâ in fratrem suum Abelem contabescens, quod Deus igne de cælo misso ejus sacrificia sibi placere demonstrasset, & jam parricidium meditans, sic à Deo interrogatur. *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? nonne si bene egeris, recipies? san autem male, stratum in foribus peccatum adervit? Cur ista Deus? nempe ut eliciat poenitentiam propositâ peccati poenâ, id est conscientiæ atrocissimo verme, qui jam tum eum rodebat, itemque mercede, si emendaret noxam, nempe primas deinceps Deo, secundas sibi, non contrâ, uti fecerat, fruges servando. Et tamen scelestus ille pro poenitudine parricidium illi divinæ benignitati rependere cogitat. Quamobrem dixit Cain ad Abel fratrem suum, egrediamur foras, cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum. Neque tamen illum Numinis misericordia deserit. Iterum confessionem ac poenitentiam interrogando elicere tentat, & ait Dominus ad Cain, ubi est Abel frater tuus? Qui respondit, nescio, & procacitatem mendacio adjungit. Num, inquit, custos fratris mei sum ego? Pergit tamen Dominus impudentiam ejus terrere, ad sceleris confessionem. Quid fecisti, inquit, adhuc tempus est, fatere crimen. Surdo canitur: at Deus: Vox, ait, sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, & audio, & propterea maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tuâ. Cum operatus fueris eam, non dabis tibi fructus*

suos, vagus, & profugus eris super terram. Gen. 4. Quid tibi, mi lector, videtur de Caino? nonne non tantum impius, sed & insanus censendus est; qui toties, tamque benignè provocatus ad vulnera mentis detegenda, ut medelam acciperet, pertinaciter tenuit? nonne meritò plexus est inaudito exilio, unde quaque fugere coactus. Talis est profectò & gravior mortalium infania, confessionem Sacramentalem devirantium, qui propterea multantur exilio omnium calamitosissimo.

Alterum ejusmodi exemplum adjicio. 254.
Naaman Naamani. auctoritate atque potentia Princeps, ac Regi Syriæ propter egregia merita familiaris, & in paucis carus, leprâ laborabat: cumque ab ancillâ quâdam Israëlitide didicisset, esse in Israëlè Prophetam, à quo tam fædo atque molesto morbo liberari posset; cum Regiis litteris profectus est Samariam, ac subinde venit ad Eliseum; qui Naaman ad Jordanem mittit, jubetque ut in eo septies abluit se, de optatâ sanitate securus. facile ac promptum remedium. Sed quid Naaman? Iratus, inquit Scriptura, *Naaman recedebat, dicens, putabam, quod ingredereur ad me, & stans invocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me: numquid meliores sunt Abana & Pharsar fluvii Damasci omnibus aquis Israel, ut laver in eis, & munder?* Ita ipse. Sed quid loqueris demens? quid petis? Sanari. Quid igitur tuâ refert modò saneris, ubi ubi facile abluaris? Quid interest, an per se ipse, an per ministrum sanitatem tibi spondeat Vates? *Cum igitur vertisset se & abiret indignans, accesserunt ad eum servi sui, & locuti sunt ei. Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propbeta, certè facere debueras: Quamò magis, quia nunc dixit tibi; lavare, & mundaberis. descendit & lavit in Jordane septies iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius sicut caro pueri parvuli, & mūdatus est.* l. 4. Reg. c. 5. En imaginem plerorumque mortalium. Leprâ pleni sunt; quid enim peccatum, nisi lepra, totam animam fetore atque horrore Deo hominibusque invisam reddens? Atqui ex veteri lege mundandi sunt leprosi, & nostris quoque proponitur aqua Jordanis, Sacramenti, inquam, levissimum lavacrum, igne alioqui purgandis, si Jordanem illum respuant. Cunctantur tamen, & bona pars recusant, & si de confessione cum iis agas, cum Naamano averunt sese, & abeunt, nec libet eo, expeditiissimo licet remedio, curari.

Et hæc illa, est perennis piorum manum, atque asperrima poenitentia, tam facile 255.
Defunctus Defunctus poeni. exagitat.

Patrocinium Defunctorum. *Lib. I. 79*

penitentiae Sacramentum non frequentius obiisse. Hæc est maxima mœstitudo in Jordane isto non se crebrius lavisse, potius quam ignis horridam purgationem expectasse. Nam recurrunt illis illa famulorum Naamani. *Pater, essem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras, quanto magis, quia dixit tibi, lavare, & mundaberis.* Quis enim ille Propheta id nunc præcipiens? Concionator, Confessarius, aliique Numinis Interpretes, qui sanè, si ejusdem jussu leprosis nostris rem grandem injungerent, ad infamem lepram curandam, ejusque igneam purgationem devitandam, æquo animo subeunda foret; semper enim levis ac facilis, illius respectu habito esset existimanda; cum longè facilius sit detegere plagam, quam eam incidi atque aduri. Sed fera est penitentia vestra; O miseræ animæ. Sera quoque, non potius accubuisse epulis divinis, per sese alioqui optabilissimis, quam detineri in hoc flammæ ergastulo voluisse. Nempe per ignes ad illas epulas penetrare debebatis & nunc velleis, & tamen ignes pati, quam illas degustare maluistis, & hæc profectò cogitatio, hæc synteresis, gravius igne vos excruciat. Meritò itaque sortem vestram plangitis, meritò nobis ac libenter inclamaretis, ut vestro exemplo saperemus. Enimverò infelix esse meretur, qui obviam ac se ultrò offerentem felicitatem repellit.

PARS SECUNDA.

*Dolor eorumdem ob neglectam Missam,
& indulgentias.*

256.
*Stultitia
neglectus
Missæ.*

PORRO huic tristitiæ, alia quoque accedit, nec impar priori: quod sacrosancto Missæ sacrificio interesse, itaque satisfacere neglexerint. Constat enim, & tertio libro dicemus, virtutem illi inesse pœnas ex opere operato delendi. Quamobrem dum homini Christiano, Missæ auditio præcipitur, perinde est ac si dicatur: vade age, interis sacrificio, atque ita fugies ergastulum, fugies ferale suggestum, & fornacem illic tibi bullientem. Et perinde est dum suadetur Missæ procuratio, ac si dicatur: Cura Christum sacrificari in arâ, & incendium evades. Ex quo dementia illud negligentium summa arguitur. Quid enim Missæ sacrificium? est pulcherrima totius orbis imago Christi sese nostrâ causâ immolantis. Et sapientis erit ejus aspectum negligere; tantâ præsertim prospectâ mercede præsentium, atque aspi-

cientium? Quid iterum sacrificium Missæ? Scena est Christi nostrâ causâ Patri æterno in gratiarum actionem se offerentis, pro communibus propriisque omnium beneficiis, & novis obtinendis. Et tam insanus sit quispiam, qui illam non libenter procurat, aut contempletur, maximè novo ac maximo beneficio veniæ pœnarum culpis suis debitam provocatus? Quid sacrificium? Est legatio Christi ad Patrem æternum pro gratiâ misericordiæque, reis mortalibus ac immortalibus obtinendâ. Et non dementis sit, illam ne præsentia quidem suâ dignari, ad desiderium saltem veniæ demonstrandum? Quid est præterea? Est mystica effusio Sanguinis Christi in flammam purgatorias, earumque, vel mitigatio, vel extinctio. Qui igitur ei operari, aut adesse nolit, demonstrat de illis se parum laborare, atque adeò eo Sanguine esse indignum. Quid igitur dementius? Quid denique sacrificium? Est Christi ad sacras species alligatio, ut suo isto carcere captivos purgatorii redimat. Quantæ igitur insanix nolle vel aspectu lytrum mereri?

Sed rem hanc figurâ aliquâ illustremus. 257.
Aptissima porro est serpentis ænci efficax *Figura illustratur.*
ad sanandum contemplatio. Cæperat populum Israëliticum per deserta ambulantes tædere itineris ac laboris, locutusque contra Deum, & Moysen, ait, *Cur eduxisti nos de Aegypto, ut moremur in solitudine? dedit panis, non sunt aqua, anima nostra iam nauseat super cibo isto levissimo.* En virulentam murmuratorû linguam; Quare quæ serpentes imitatur, aptè à serpentibus puniatur. *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad Moysen & dixerunt: peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum, & te ora ut tollat à nobis serpentes, oravitque Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad eum; fac serpentem æncum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, vivet. fecit ergo Moyses serpentem æncum, & posuit eum pro signo; quem, cum percussi aspicerent, sanabantur, Nu. 2.* En figuram Christi, non modò in Golgothæo monte è cruce pendentis, sed etiam in altari. Et hic enim conspectus serpentum ignitorum, sine morfu, velut ignem membro læso imprimendum, id est peccatorum plagas per sanat. Quemadmodum ergo si quis ex Israëliticis eum erigere, aut aspiceri ad curationem dedignatus esset; jure merito mente captus, aut curatione indignus esset judicatus: ita qui noxarum plagas revera igneas & urentes aspectu Christi in arâ erecti

258.
Defunctos
cruciat.

arâ erecti, non vult curare.
Itaque & hoc vehementer gemunt animâ, noluisse seu neglexisse ignem, quo ardent, vel sic mitigare, aut extinguere; quàmque illud erat pronum Missæ operari tradito stipendio, aut præsentem se sistere, tam durum & intolerabile est in purgatorii tormentis tam miserè, tamque diu hære. O quid jam non darent, ut sacrificia pro se fierent! aut quid non facerent, ut vel uni sacrificio interessent! quantâ cum pietate & reverentiâ imaginem illam vivam Christi morientis, & amabilissimum illum amantis carcerem, dum in Missâ populo exhibentur, conspicerent! Quàm avidè Sanguini Christi mysticè in eos effuso, sese velut immergerent! Sed vota hæc frustra sunt, imò non frustra, cum eas acerbissimè torqueant, quia jam sunt frustra: quia cum antehac nullo negotio expleri possent, jam nequaquam possunt: quia denique cum oculos rebus vanis ac turpibus, aures item carminibus inanibus, aut impuris tam faciles olim adhiberent; nihil illis operosius aut rarius erat, quàm tam salutari sacrificio interesse. Sed hoc illis omnium atrocissimum accidit, quòd cum pro animæ bono ac solatio, in tantis cruciatibus, item pro Missâ procurandâ omnes mundi thesauri meritò impendendi essent, infelices illæ, dum in vivis agerent, pluris paucillum nummorum quàm utrumque illud fecerint. Heu! nunc maximè, nunc atrocissimè illis dolet, quòd sibi hæc Ecclesiastici cap. 10. conveniant, *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam. Hic enim, qui eam amat, & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua.* Quàm enim iniquè secum agit, qui pauculis assibus parcit, quibus Missam procuraret in lytrum purgatorii carceris: nonne hic potissimè animam suam venalem habet, & parvo quidem venalem, quippe qui animæ tantum bonum, tamque necessarium octo aut decem nummulis non æstimat? Nonne eandem animam venalem habet, qui eam non periculis tantum, sed & certo incendio exponit, ne levem subeat laborem audiendi Sacri, aut damnum stipendii sacrificatorio solvendi? Certè quidem qui est hujusmodi, *intima sua*, seu viscera, quæ misericordiæ sedes est, *proiecisse* omninò dicendus, quia miseras suas futuras, licèt ingentes, minimè præcavet, quia misericordiæ divinæ thronum adire non dignatur; quia denique mavult diu, atrociterque cremari, quàm aut sacro interesse, aut stipendio levi curare illud bono suo patrati.

259.
Sculptura
indulgentiarum negligentium.

Quòd si ita res habet, quid sentiendum de neglectu indulgentiarum? Enimverò & sacrificium Missæ & sacramentorum susceptio, pœnitentiæ potissimum, & oratio, & elemosyna, & jejunium laboris aliquid admixtum habent: at indulgentiæ quæstus, ut plurimum vix ullum requirit. Atque ut requirat, primum nequit ambigi, quin operibus nostris satisfactoriis multum præcellat ad satisfactionem: est enim applicatio satisfactionum Christi ac Sanctorum. Deinde non videtur etiam dubitandum, quin explens ea, quæ ad plenariam exiguntur, certius ac plenius eximat se pœnis in purgatorio luendis, quàm si obtineat, quod virtute confessionis ac pœnitentiæ Sacramentalis, itemque Synaxeos ac sacrificii obtineri solet. Ex quibus consequitur stultitiam indulgentias negligentis, parem esse multiplici stultitiæ opera satisfactoria, itemque sacrificium ac sacramenta negligentium: si quidem solius satisfactionis ratio habeatur, non meriti, & impetrationis, quorum, & opera, & sacramenta longè sunt fecundiora: de quâ stultitiâ, ne denique similitudine tædium pariam, hoc tantum habeo dicere, insigniter insanientes esse, malle exilio & carcere, & ignis flagrantissimi supplicio damnari, quàm ex Christi ac Sanctorum thesauro, facillimo negotio, & verè nullo labore, quantumlibet satisfactionum in hac Pontificum beneficiâ consuetâ obtinere. Cui stultitiæ cum dolor piorum manium adæquetur, omnes mœrores ex neglectu, de quo agimus, exortos, superet necesse est.

§. 3.

*Recapitulatio Dictorum De pœna
Damni cum pœnensi ad
commiserationem.*

160.
Recapitulationio.

ATQUE de pœnâ damni piorum manium: quæ, si singula & universa menti obversentur, si captivitatis inaudita calamitas, si carceris profundi ac tenebrosi miseria, si contiguitas ac fortè continuitas cum orco, si animarum alligatio ad suum ergastulum, si privatio visionis beatificæ, atque aded jactura possessionis Dei, si jactura etiâ amoris beatifici, gaudii que multiplicis ex visione erumpentis spectetur, si præterea dolor ingens ex jacturâ gratiæ sanctificantis, atque aded gloriæ infinitæ, si insuper ea quæ nascitur ex indignitate repudiationis gratiarum actualium, ex peccati maculâ, seu Numinis offensa, ex deici-

ex deicidio item ac Christicidio, aliisque noxæ lethalis effectis tristitia consideretur: si denique hæc ipsa, quam postremò exposuimus, ex neglectu satisfactionis, hac in vitâ facilis & obviæ hausta mœstitiæ expendatur, quas singulas per se esse gravissimas ostendimus, videat peritus lector, quàm inexplicabilem doloris acerbitatem inferant, quæ differimus, universa mihi quidem nunc potissimè vera videntur Angelici Doctõris sententia, pœnam damni minimam maximis hujus mortalitatis cruciatibus præferendam esse.

261. *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parturientis. Corruì cum audirem, conturbatus sum cum viderem, emarcuit cor meum: tenebra stupefecerunt me. Babilon dilecta mea, posita est mihi in miraculum.* Nam si Ilaïæ Vati cap. 11. tam luctuosa fuit Babilonis clades olim eventura sub Balthasare, profectò longè potiori jure piorum manium pœna damni universa verba hæc, affectumque iis respondentem exprimere ex nobis debet. Eorum namque exilium ac durissimæ angustia, velut difficili, ac longo puerperio Deum parturientium, atque ad fœlicem in se illius partum, supra quàm concipi potest, anhelantium, cor nostrum in similes angustias ex commiseratione redigat oportet. Et cum audimus eos toto nisu in palatia cœli connitentes, Judicis sententiâ deturbatos in terræ centrum, & proximè tartarum; & nos ipsos corruere præ misericordiâ par esset. Ad hæc cum objicitur nobis jactura illorum tanta, & visionis & amoris, & gaudii beatifici, & exclusio è societate Sanctorum, conturbari, & emarcescere præ dolore deberemus, & caligine mentis oculis affusâ stupefcere. Non enim jam Babylon illa superba Cyri jugo subjicitur, quàm etsi Genti Judaicæ inimicam, diligit ex charitate pius Propheta: sed Numinis filia, Christi Sponsa, & quidem amicissimæ ab eo sic accipiuntur, ac si essent inimicissimæ, adeò ut unaquæque meritò illud Jobi cap. 7. usurpare possit. *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi met ipsi gravis, item illud cap. 19. Iratus est contra me furor eius, & sic me habuit, quasi hostem suum.* Quare in miraculum posita dicuntur, sive quia mirabilissimum est eas ab amantissimo Sponso sic torqueri, quando iter erat ad cœlestes nuptias, sive quia peccati sic eas deicientis gravitatem admirandam exhibent, sive denique quia hoc eorum supplicium, ita hujus mundi supplicia superat, ut miraculum superat naturam.

Neque verò affectus in eas nostros steriles esse decet. Itaque ut carcere isto quantocyus exeant, collatâ stipe, ac lytro persoluto captivos solvamus: ut divinitatis conspectu perfruantur, earum causâ Deum ac Dominum nostrum sacrarum specierum velo tectum, in Missæ sacrificio frequenter spectemus: ut amore Numinis beatifico potiantur, cor nostrum, & non paucas actiones ex verâ caritate manantes, ipsorum bono, Numini consecremus: ut gaudio beatifico cumulentur, afflictorum mortalium, qua licet, mœrorem levemus, agrorum dolori saltem verbis suavibus medeamur, pauperum egestatem liberali stipe sublevemus. Ut denique Sanctorum societatem tandem incant, Sanctos ipsos Cælites imploremus. Quod si nummorum, & stipis copia desit, in promptu sunt desideria, vota que quibus semper divites esse possumus. Hæc cumulemus, his ipsis eas votorum compotes reddamus.

Quî autem fieri potest, ut his etiam parcamus, cum canis clausi, atque adeò ejulantis miserti, non modò optemus ejus liberationem, sed etiam affectu quodam naturæ insito procuremus? Quid? novi ego quampiam, quæ nullum etiam levissimum, vel felis, vel canis domestici incommodum, sine commiserationis intimæ sensu ac mœrore, querimoniisque spectare, nedum injuriam ferre poterat. Novi, quæ catelli morbum, non levi dolore, mortem luctu ac lacrymis profecuta est. Et homo hominis miserabilem captivitatem, jacturam immensam, tristitiam tantum non infinitam, siccus, & immotus ferre poterit? Quid memorem pisces ob culli speciem, monachos dictos Olao teste lib. 4. cap. 1. eum aliquem è suis captum animadvertunt, tantum strepitum circa navim excitare, ut eam everfuri videantur, nec cessare donec reddatur? An decet pisces hominibus humaniores, atque in suos benigniores esse? An par est Christianos, nihil Miserationis sentire in summis suorum tormentis & tristissimâ captivitate, quando bestia in multo leviori sic affecta sunt? non est profectò hoc hominibus consentaneum, non est Christianis. Qui enim credit Domino, misericordiam diligit Pro. 4. Ergo miserere Lector, miserere animarum, quæ cum hæc placidè legis, Deo ac cœlo spoliata, mœrore, quem saltem voto ac tacitâ brevi que prece levare potes, conficiuntur. Adde voto, & desiderio decretum post hac efficacius adjuvandi, & rem tandem perfice. Quod si negligis, si multorum more mortalium, quasi

262. *Excitanda.*

quasi fabulas aniles hæc legis, sine motu, sine commiserationis ullo affectu, profectò meritò tibi applicem illa Isaïæ supra piis manibus applicata. *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum.* Rectè enim exprobrent tibi pii manes, impiæ Babylonis instar te esse, nec tamen illis non dilectum, cum amantissimi manes salutis tuæ immemores esse nequeant, nec cessent Deum pro suis comprecari. Rectè etiam

querantur positum te ipsis ac propositum in miraculum duri ac faxei pectoris, in prodigium inhumanitatis, in naturæ monstrum. Quod si ita est, etiam atque etiam cave. Minus enim verè quadrat tibi illud funestissimum Jacobi Epistolæ cap. 2. *Judicium sine misericordiâ illi, qui non facit misericordiam, iis saltem quos Deus mortalibus proposuit in prodigium miseræ, ac calamitatis.*

CAPUT SEXTVM.

De pœna sensus.

ARTICULUS I.

An, & quomodo ab igne infligatur?

§. I.

Pii manes igne cruciantur, eoque sulphureo ac bituminoso.

PARS TERTIA.

Ignem cruciari ostenditur.

264.
Pœna sensus casti-
gantur.



PXPOSITA damni pœnâ, proximè sequitur, ut de pœnâ, quam sensus vocant, differamus. Est igitur primùm pœna sensus, id genus pœnæ, dolorisve, quem vel pii, vel impii manes, aut dæmones ab instrumentis vindicis Justitiæ persentiunt, præter eam tristitiam, quæ vel ex privatione beatitudinis, vel ex custodia lustralis conditionibus potest exoriri. Porrò ejusmodi aliquam in purgantibus locis pœnam reperiri non modò Doctõrum, sed & totius Ecclesiæ consensu exploratum est. Et verò Justitiæ divinæ ratio id exigit, ut quos pravorum desideriorum vis à Numinis amore, obsequioque ad illicitas voluptates impulerit, ii contrariâ hujusmodi voluptatibus pœnâ, si quidem eas hac in vitâ minus eluerint, castigentur. Cui rationi consonat divinum illud effatum Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, & in delictis fuit, tantum date illi tormentum:* & hoc Isaïæ cap. 15. *secundùm magnitudinem operis est visitatio eorum;* Item illud cap. 3. *Va impio in*

malum, retributio enim manuum eius fiet ei.

Atqui tormentum illud ab igne creati inter Catholicos receptissimum est, certumque, ut ait, Suarez, licet citra fidem divinam. Et si enim à Florentino Concilio decisum habemus extare aliquod Purgatorium: non tamen in eo constare ignem, quo animæ cruciantur, quia Græci, qui illi intererant, sibi hoc persuaderi non permisere. Nemo tamen sanus jam infitias eat, cum Latini omnes Patres ac Theologi, ipseque Cyrillus Græcus, aliique ejusdem gentis, id clarissimè, indubitanterque asserant. Ac Cyrillus quidem commentario in Joannem lib. 10. cap. 14. illud disertè affirmat. Nysenus quoque & ipse Græcus orat. de infantis animâ piè corpore egressâ. *Subibit, inquit, acta vita iudicium, accipiet pro merito retributionem, vel igni purgata, iuxta Evangelii verba, vel in rore benedictionis refrigerata, atque refocillata.* Basilius insuper in c. 9. Isaïæ, *Non omnimodam, ait internecionem, & exterminium comminatur; sed innuit expurgationem juxta Apostoli sententiam. Ipse autem salvus erit, quasi per ignem.* Denique idem docet Origenes Hom. 6. in exod. Nazianzenus oratione in Sancta lumina, & alii. Latinos autem Patres hæc laudare fere supervacaneum sit. Omnes enim in hoc consentiunt. Unicum Hilarium produco in Psal. 118. ubi purgatorium nuncupat *indefessum ignem, in ignem, in quo gravia sustinentur supplicia, quibus animæ à peccatis expiantur.* Sed his omnibus præluxerat Gentium Apostolus 1. Cor. 3. cujus hæc sunt toties recantata verba: *Ipse tamen salvus erit, sed quasi per ignem.* ubi illud quasi non sonat similitudinem ignis, sed modum sal-
vationis

265.
Eaq; ab igne profecta.